



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titvlvs XL. De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

natenſi ita reſcribit : (Quando ſinceriùs diligimus monaſterium veſtrum , & veſtræ cupimus Religionis augmentum , tantò ſoliciùs veſtris volumus providere profectibus , & gravaminibus obviare . Ea propter dilecti in Domino filii , veſtris poſtulationibus annuentes , auctoritate præſentium diſtrictè inhihemus , ne quis pro eo , quod quandoque in grangiis veſtris ponitis aliquos veſtros monachos ſacerdotes , qui celebrent in capellis ibidem conſtitutis , curam non habentibus animarum , audeat à vobis procuraciones pro iſtis grangiis extorquere .) Illuſtrant Azor *inſtitut. moral. part. 2. lib. 3. cap. 42. queſt. 2.* Barbosa *lib. 3. juris Ecclēſ. cap. 22. num. 15.* Ratio eſt , quia licet hujusmodi loca Ecclēſiaſtica ſint , & ut talia ſubjiciantur Diocēſanis Episcopis , cap.

te de monachis 12. de præbend. tamen quia nec habent titulum beneficii , nec beneficia annexa , nec redditus , aut proventus Ecclēſiaſticos , ideo procuracionem non præſtant , licet loca hæc ab Episcopis viſitari poſſint , arguimento *capitis 3. de religioſ. domib.* Nec etiam ſimilia loca tenentur contribuere pro Seminario , ex diſpoſitione Concilii Trident. *ſeſſione 23. de reformat. cap. 18.* quia tantum hoſpitalia erecta , ſi habeant beneficia annexa , vel redditus , aut proventus ecclēſiaſticos , tenentur illud perſolvere , ut latiùs proſequuntur Barbosa *de offic. & poteſtat. Episcop. allegat. 77. num. 6.* Cabedo *deſiſion. 204. Inſtit. part. 1.* Riccius *in praxi fori Ecclēſ. part. 4. reſolut. 151.* Genuenſis *in praxi Neapol. cap. 17. num. 2.*

TITVLVS XL.

De conſecratione Ecclēſiæ , vel Altaris.

C A P U T I.

(a) Alexand. III.

AD hæc ſi altare motum fuerit , aut lapis ille ſolummodo ſuſpoſitus , qui (b) ſigillum continet , contractus , aut enormiter diminutus extiterit , debet denuo conſecrari : Ecclēſia verò propter hoc nequaquam ſuam conſuevit conſecrationem reiterare , licet id quidam canones innuere videantur : non tamen id facere prohibetur.

N O T Æ.

(a) **A**lexand. III.) Ita etiam legitur in ſecunda collectione , *ſub hoc tit. cap. unic.* ubi additur *pars capituli Deſinunt* , & in Gloſſa marginali emendatur *pars capituli Dum fuerit* . Sed cum nullus textus ſit in his collectionibus , qui ab his verbis incipiat ; ideo agnoſcere non poſſumus cui Episcopo Pontifex reſcribat .

(b) **Sigillum.**) Id eſt operimentum reliquiarum diſtinctum ab ipſomet lapide , ut exponit Conink *de Sacramentis quaſt. 83. artic. 3. dub. 2. num. 240.* quem ſequuntur le Maître *tractat. 5. cap. 6. num. 9.* & P. Henao *tom. 2. de ſacriſ. Miſſæ , diſput. 24. ſect. 3. num. 44.* reliquias enim Sanctorum in ipſo altari recondere mos eſt antiquus Ecclēſiæ ; immò ſine reliquiis altaria conſecrari nequibant olim , & de facto conſecrata evertentur , *cap. placuit 25. cap. non oportet 28. cap. Ecclēſia , de conſecrat. diſt. 1.* Synodus Nicæna 2. can. 7. ibi : *Templa que conſecrata ſunt , ſi carent reliquiis Martyrum , reliquiis accipiant : qui ſine reliquiis conſecrat templum , deponatur , ut qui Ecclēſiaſticas traditiones tranſgreſſus eſt.* Probant Anton. Auguſt. *in epist. jur. lib. 16. titul. 3.* Ferrandus *lib. 1. diſq. veliq. cap. 3. ſect. 1.* Scottia *de ſacriſ. Miſſæ*

lib. 3. cap. 12. num. 2. Vicecomes *volunt. 3. de riſibus Miſſæ , cap. 27.* Menardus *in notis ad lib. Sacr. D. Gregorii , pag. 201. & 202.* Roſveidus *in notis ad epistol. 11. D. Paulini , P. Henao de ſacriſ. Miſſæ , tom. 2. diſput. 24. ſect. 1. D. Sanctius de Avila in venerat. reliquiar. lib. 3. cap. 1.* Hurtado *de veromartyrio reſol. 43. ſ. 12.* Vivar. poſt Marcum Maximum *in S. Joanne vindic. S. 2.* Reliquiæ autem ipſæ reponcantur ſub altari , ut patet ex Prudentio *in Martyrium Ceſar. auguſt.*

Hoc ſub altari ſita ſempiterno

Lapſibus noſtris veniam precatur.

Sancto Paulino *epistol. 12. ad Severum* , ibi :

Pignora Sanctorum , divina gloria mentis

Velat Apoſtolicis edita corporibus.

Et inſtrà de Baſilicæ fundandæ dedicatione :

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum ,

Regia purpureo marmore cruiſa regit.

Et in ipſa forma conſecrationis altaris edita à

Ratoldo *in Sacram.* ibi : *Et tunc ponatur tabula* ,

ſuper quam faciat cruces quatuor ex oleo , & chriſt-

mate . & deſignantur per quatuor angulos cum

cultero . Et in Ordine Romano ſic legitur : Tunc

ponat tabulam ſuper reliquias , & det orationem

hanc Oremus : Deus qui ex omni coarptatione San-

ctorum , &c. Deinde linat eum cum calce , qua

antia

antea fuerat preparata; & postquam linitum fuerit, faciat crucem desuper cum chrismate, dicendo sicut prius: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Amen. Pax tecum, Respondetur: Et cum spiritu tuo. Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris, ipsa supra scripta verba dicendo, & crucem faciendo: & cantent aniphonam, Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt; & vivent nomina eorum in aeternum cum gloria. Hæc in prima quidem dedicationis descriptione: sed in secunda paulò aliter in hunc modum: Et accipiens tabulam, qua super reliquias poni debet, antea confirmet eam subius cum chrismate, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; & ponat tabulam super reliquias, & dicat hanc orationem: Oremus. Deus qui ex omni cooperatione Sanctorum, &c. Deinde linit eam cum calce, que antea fuerat preparata; & postquam fuerit linita, faciat crucem desuper cum chrismate dicendo ut supra. De hoc sigillo in præfenti agit Alexand. III.

COMMENTARIUM.

2. **Conclusio traditur, & probatur.** Ex hæc textu sequens deducitur assertio: Si altare motum fuerit, aut lapis principalis fractus, denuo debet consecrari, non vero ipsa Ecclesia. Probat eam textus in cap. quod in duobus 3. cap. proposuisti 4. cap. lignis 6. hoc civil. Ilustrat ultra congelitos in præfenti à Garanna, & Barbosa, idem Barbosa alleg. 27. & lib. 3. juris eccles. cap. 3. Pechius de Eccles. reparand. cap. 37. & 38. Corvinus lib. 2. aphorism. juris Pontif. tit. 21. Suarez de sacram. disput. 81. sect. 5. Cardinal. Lugo eodem tract. disp. 20. sect. 2. num. 74. Tamburin. lib. 1. de sacrif. Missæ, cap. 5. §. 1. num. 16. Dictastillo, & alii quos congerit P. H. nao de sacrif. Miss. disput. 24. sect. 3. Vighellius in methodo jur. can. lib. 4. tit. 14. Murga tom. 1. disput. mor. tr. 2. disput. 6. per tot.

3. **Impugnatur tradita assertio.** Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione insurgo: Accessorium sequitur naturam sui principalis, cap. accessorium, de R. l. lib. 6. sed altare est principale, siquidem ejus gratiâ Ecclesia consecratur: igitur amoto altari, ita ut egeat novâ consecratione, etiam Ecclesia denuo consecranda est. Quaratione motus sanctus Anselmus cum sibi hæc questio proponeretur, existimavit in præfenti casu Ecclesiam denuo consecrandam esse, lib. 3. epist. 159. in his verbis: De quo quidem neque in decretis, nec in canonibus memini me aliquod legisse, sed à quodam Episcopo audivi, quod in decretis Eugenii Pape legitur, altare motum iterum esse consecrandum. (reponendum est Higini in cap. si motum 19. de consecrat. disp. 1.) De his cum Domino Papa Urbano II. loquutus sum assistentibus quibusdam Episcopis: sed Papa dicebat tanquam privatus Doctor, mensam altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius altare reputandam. Alii verò dicebant, tantum reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostendentes: in hoc autem omnes concordant, quod violato principali, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est: nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis, aut alterius in eadem Ecclesia. In his autem omnes concordant, cum quibus loquutus sum, exceptâ altaris mensâ. Ita si aliqua pars Ecclesia destructa reficitur, aut nova sit, altari immoto, aquâ tantum ab Episcopo bene-

dictâ aspergendum dicunt. Augetur hæc difficultas ex auctoritate Ivonis Carnotensis, & ratione ab eo adducta epistol. 80. ibi: De motione altaris, vel parietum Ecclesia, utrum iteranda sit consecratio, vel non iteranda, nihil scriptum in antiquis regulis reperi: in collectione autem Burchardi Wormatiensis Episcopi, & Concilio Meldensi cap. 5. ita scriptum reperitur: Altare, si motum fuerit, Ecclesia denuo consecratur; parietes verò si moti fuerint, & non altare, salibus exorcizentur. Hoc capitulum, si diligenter attendatur, ad omnes inquisitiones vestras respondet: & quia de monachis Sancti Wandregisli rationes quas ponit aliquando reddidi, eadem Religioni vestra scribere curavi, quibus ita scripsi: Consuluit parvitatem meam vestra dilectio, utrum tabula altarium aliquando consecrata, cum translate fuerint, & super novam struem lapidum posita, denuo sint consecranda. Quod nobis ex auctoritate, & ratione faciendum videtur, cum canon dicat: Altare, si motum fuerit, Ecclesia denuo consecratur: quod si Ecclesia propter motionem solius altaris denuo est consecranda, quanto magis ipsum altare, quod motum est. Faciant textus diferti in cap. si motum 19. ibi: Si motum fuerit altare, denuo consecratur Ecclesia. Et cap. de fabrica 24. de consecr. distinct. 1. l. 19. tit. 10. part. 1. ubi expressè intuitur, moto altari, denuo consecrandam Ecclesiam.

Quâ dubitandi ratione non obstantè vera est præfens assertio, pro cujus expositione sciendum est, templa, & similia loca Deo dicata ad sacrificandum & orandum dupliciter à Gentilibus, & Hæreticis impugnari. Gentiles odio Christianæ religionis ipsa evertebant, ut fecerunt Imperatores Titus, Diocletianus, & Julianus, ut referunt D. Augustinus lib. 18. de civit. Dei, cap. 45. Tacitus lib. 21. annal. Eusebius lib. 8. histor. cap. 2. Divus Hieronymus in epist. ad Riparium. Hæretici ea tanquam mala rejiciunt, ut fecerunt Manichæi, Petro-Buffiani, Albigenes, Waldenses, Wiclephitæ, & Anabaptistæ, docentes in templis non esse orandum, nec sacrificium offerendum, nec sacramenta conferenda: quorum verba refert Jodocus Coccius tom. 2. thesauri fidei cathol. lib. 3. artic. 5. Lutherani, & Calvinistæ tantum admittunt templa ad usum concionis, ut referunt Castro de hæresibus, verbo Templum. Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 1. quorum fundamenta sequentia sunt. Primò, quod Deus ubique coli reverenter potest, & ab hominibus exoratus, eorum preces exaudit, ut constat variis exemplis sacræ paginæ relatis à Durantio lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 2. num. 5. nam Deum oravit Job in fiterquilinio, Job cap. 2. Moyses in medio mari, Exod. cap. 15. Ezechias in lecto, cap. 38. Isaiæ: Jeremias in luto, cap. 38. Jeremia, Jonas in ventre ceti, cap. 2. Jon. Daniel in lacu leonum, cap. 14. Daniel. tres pueri in fornace, cap. 3. Daniel. Iatro in cruce, cap. 23. Luca: Paulus in carcere, cap. 16. Actuum Apost. & alii alibi. Secundum, quia Deus spiritus est, Joannis cap. 4. & ejus majestas non debet parietum, & tectorum angustis circumscribi; idco cælum Dei sedes dicitur, & terra scabellum pedum ejus, cap. 5. Matthæi: & ut habetur Actuum Apost. cap. 17. non in manufactis templis habitat. Quapropter D. Basilus in exhortat. ad baptizandos,

BBbb

vismup,

risum, & penitentiam, ad hæc sacramenta suscipienda non locum, sed affectum, & intentionem exigit. Tertium quod D. Joannes in cap. 21. Apocalypf. loquens de Ecclesia Catholica ait: *Templum non esse in ea, quia Dominus templum illius est.* Quartum quia ad orationem non videtur templum esse aptum, & conveniens, juxta illud D. Matthæi cap. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: & propter auctoritatem D. Pauli 1. ad Timoth. cap. 2. ibi: Volo viros orare in omni loco levantes manus puras.* Quæ argumenta frustra adstruunt contra templa catholica, & eorum usum ad liberam Ecclesiarum constructionem, non sine majestatis suæ diminutione; immò cum maxima veneratione Deus in Ecclesiis, templisque præcipue quodam cultu adoratur, ut ait Durantius dicto lib. 1. cap. 2. & orationem in templo consecrato fructuosior esse probantur Olivarius Bonarsius lib. 3. de oratione, cap. 10. Gilbertus Schevicius lib. 1. de Eccles. vie. cap. 26. Jacob Alvarez lib. 1. de orat. cap. 5. pag. 21. Theophilus de litteris monit. p. 2. cap. 5. num. 18. constatque, nam in lege veteri ea ratione templum sibi voluit Dominus ædificari, ut refertur Exodi cap. 25. de quo templo agitur in cap. 2. de consecrat. dist. 1. & probatur, quia populus Christianus aliquando debet necessario convenire ad res sacras; neque enim coitio haberi debet seorsim à singulis fidelibus: & quamvis id fieri possit, non tamen expedit, quia hujusmodi conventus fidelium peritiles sunt ad excitandam devotionem, & animorum unionem: ideo Ecclesiarum usum commendavit D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 12. & 14. & Ecclesiæ PP. in cap. non oportet 42. dist. 1. cap. si quis objecerit 1. quest. 1. in Synodo Trul. can. 64. & alii congesti à Bellarm. lib. 3. de Eccles. contro. 1. Theoph. tom. 16. in Heter. p. 2. punct. 8. Suarez 3. p. in 3. p. sect. 83. disp. 81. Unde facile solvuntur argumenta adversariorum. Nec enim obstat primum; nam quamvis Deus ubique colatur, specialius tamen in templis ei honor adhibetur, cum templorum constructio ad cultum patriæ pertineat. Secundum facile solvitur, si observetur, majestatem Deo debitam non minui ex eo, quod in templis colatur, & veneretur; immò potius augeri, & majori excellentiâ præstari; & ideo quamvis baptismus, & penitentia validè conferantur extra Ecclesiam, decentius tamen in ipsa Ecclesia, quàm alibi, Clement. unic. de baptism. Nec obstat, Deum spiritum esse, & in spiritu adorandum; nam etsi Deus sit purus spiritus, & loco non sit inclusus, homines tamen cum eo lentes corpore, & spiritu adorare debent. Nec etiam illis favet locus Apocalypf. ibi: *Templum non vidi in ea.* Quia ea verba exponenda sunt de Ecclesia triumphanti, in qua materiale templum non datur; non verò de Ecclesia militanti, in qua templa oportet construi: quo modo locum illum accipiunt Beda, Rupertus, & Anselmus, quos laudat, & sequitur Bellarm. d. lib. 3. cap. 4. Quartum solvit Chrysostomus homil. 30. contra Anomæos, his verbis: *Orare, inquit, domi possumus; te homo decipis, & magno in errore versaris; nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest ut domi tam bene ores, quàm in Ecclesia.* Ideo orationi in templo factæ magna tributa sunt à Deo beneficia lib. 2. Regum, cap. 8. lib. 2. Paralip.

cap. 6. tum etiam quia piorum hominum frequenti consensu excitatur animus, & objecto aliorum exemplo ad Dei cultum magis erigitur: ut enim propius admotio tiones facilius ardent, idem sepositi languescunt: sic in Christianorum ampliora corona studium pietatis accenditur; in solitudine contrà remittitur.

Secundò sciendum est, inter Gentiles nonnullas fuisse nationes, quæ templa non agnovissent, nec Diis ædificari ædes volebant, ut Sicionii, de quibus exclamat Arnobius lib. 5. contra Gentes: *Non omnibus Diis templa devota.* A quibus Athenienses acceperunt, quin non solum templa, verum nec statuas Diis erigebant. Statuas lib. 12. Thebaid.

Nulla autem effigies, nulla commissa metallo

Forma Deæ: mentes habitare, ac peiora gaudet.

Perfæ etiam constructionem templorum respuebant, ne majestas Solis, quem colebant, minueretur intra ædificii cancellos Strabo lib. 15. seu ut ait Cicero lib. 2. de legibus, ibi: *Non esse parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset, ac domus.* De aliis idem refert Majolus dierum canonic. verbo Vaticanæ, fol. 347. Inter fideles verò jam primis Ecclesiæ sæculis invaluit, ut ipsi communes domos haberent, in quibus convenirent ad orationem, & sacrificium Deo offerendum; de quibus Philo Judæus ibi: *Est in singulis locis consecrata orationi domus.* Et ab eo observantur Eusebius lib. 11. histor. cap. 17. Baronius tom. 1. anno 57. à num. 98. & tom. 2. anno 211. num. 4. Scretinus Binius in notis ad can. 5. Concil. Gangren. Idem etiam constat ex eo, quia sub Paulo Apostolo Ecclesiæ consecratæ erant, ut ipse ostendit in epistola 1. ad Corinthios, cap. 11. ibi: *Aut Ecclesiam Des contemimus;* & à D. Marco Sancti Petri discipulo Alexandria Ecclesiam Sancti Petri nomine consecratam fuisse refertur in cap. sacrosancta, §. secundò autem, 22. dist. 1. & Nicephorus Calixtus lib. 2. histor. cap. 35. & tribus sequent. testatur, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Mattheum, & Andream Apostolos ubique Christianæ religionis factis fundamentis, templa contraxisse. Idem de Simone, & Juda refert Eusebius lib. 2. histor. cap. 16. & à D. Clemente Petri successore Ecclesiarum constructio præcepta reperitur in cap. Ecclesias 13. de consecr. dist. 1. cap. Ecclesias 16. quest. 3. Illustrant, & plura de Ecclesiarum utilitate, & commendatione congesterunt Jodocus Coccius tom. 2. thesauri, lib. 3. artic. 5. Carrier. lib. 2. digesti. fidei, tit. de festis, q. 6. Corjolanus in can. 5. Concilii Gangren. le Maître de juribus Eccles. lib. 1. cap. 14. Stuckius de sacrificiis Gentil. fol. 56. Dartis ad dist. 1. de consecr. Suarez de sacrament. disp. 81. art. 2. Villaroel. p. 2. regim. Eccl. q. 30. art. 1.

Deinde sciendum est, hæc ædificia pro Dei cultu, & sacrificiorum religione constructa variis nominibus ab Ecclesiæ Patribus appellari; ut templa, licet antiqui Ecclesiæ Prælati abstinuissent ab hoc nomine, propter recentem memoriam sacrificiorum legis veteris, ne cum Judæis fideles commiserentur, ut observat

fervāt Durantius lib. 1. de ritū Eccles. cap. 1. num. 7. Appellatur etiā Oratoria ab eo opere, quod in eis exercetur, ut probant Baronius lib. 1. anno 57. num. 227. Haephenus *disquisit. monast. lib. 7. tractat. 1. disquisit. 1.* Concilium, l. 1. C. de SS. Eccles. quia est convocatio fidelium; & hoc sensu D. Ambrosius *advers. Symmachum*, sanctarum Virginitatis collegium appellat concilium virginitatis; & locus ubi plures martyres collecti sunt, vocatur martyrum concilium in martyrologio Romano die 23. Junii. Unde leviter restituendus est locus Anastasii de Rom. Pontif. in Damaso, ubi legitur: *Hic multa sanctorum corpora requisivit, & invenit, quorum concilia, (lego concilia)* Appellatur etiā basilica in can. 28. Synodi Laodic. relato in cap. non oportet, 42. distinct. cap. omnes basilica 16. quest. 7. cap. omnes 3. cap. basilica, 6. cap. Ecclesia 8. cap. basilicam 10. de consecr. distinct. 1. cap. si quis 9. dist. 3. vel propter regiam structuram magnificentiam, vel quia Deo Regi Regum in ea cultus exhibetur; nam domus Regia basilicæ dicitur, l. 1. §. ultim. ff. de acquir. possess. l. continuus 137. §. cum quis, ff. de V. O. l. basilicam 21. C. de operibus publicis, ut voluit Amalarius lib. 3. de Eccles. offic. cap. 2. Ildorus lib. 15. originum, cap. 4. Walfridus Strabo de rebus Eccles. cap. 6. & hac notione sacram ædem basilicam appellat D. Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 4. ibi: *Illud Junonis templum sibi elegerat avaritia, & superbia levium Græcorum. Istas Christi basilicas misericordia, & humilitas etiam immanium barbarorum, &c.* D. Paulinus epist. 11. & 12. Sæpius basilicæ meminit Agobardus Lugdunensis Episcopus.

Hic dum basilicas Deo dicat

Et Christi subeunte verenda templa,

Ildorus lib. 15. etymol. Amalarius lib. 2. de officiis, cap. 2. Aurel. Episcopus Arelat. in regul. monach. cap. 14. ibi: *Nullus laicus, sive nobilis, sive ignobilis, in basilicam, seu monasterium.* Illustrant Malvenda de Antichrist. lib. 7. cap. 7. Cironius ad titul. de foro compet. Baronius anno Christi 57. P. Zerda in *advers. cap. 133. num. 17.* Dorleans ad Tacitum lib. 1. annal. Illander in notis ad Vitruvium lib. 5. architect. Alciatus lib. 1. prætermis. verbo Basilica, Ramirez de Prado in not. ad Luitprand. nota 102. Aliter basilica apud Gentiles accipitur, ut probant Baronius in Martyrol. die 5. Augusti, Theophilus Raynaud tom. 15. in Heter. spirit. part. 1. punct. 4. Appellatur etiā Dominica, Concilia Laodic. can. 28. ibi: *Non decet agapæ in Dominicis, vel Ecclesiis facere.* Neocælar. can. 5. ibi: *Catechumenus ingrediens in Dominicam, in loco catechumenorum subsistat.* D. Cyprianus de elemosyna: *Quæ in Dominicam sine sacrificio venit,* Rufinus lib. 3. histor. cap. 3. ibi: *Hec si vera esse credis, ô Philoppe, surge, sequere me ad Dominicum.* Cyrillus Hierosolym. Catechesi 18. Zonaras in can. 24. Synod. Trull. Illustrant Durantius lib. 1. de ritibus, cap. 1. num. 2. Justel. ad can. 15. Synodi Ancyr. Theophilus Raynaud. tom. 15. in Heter. spirit. punct. 4. Novarin. in Agno Eucharist. cap. 107. Zerda in *advers. cap. 19.* Quia in Ecclesia Dominus dominantium, & Rex Regum colitur. Dicitur etiā Ecclesia oraculum, ut probat, & vocem illustrat Theophilus d. rom. 15. punct. 4. fol. 177. appellatur etiā arx. Venantius lib. 11. carmin. 11.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Quam sacer Antistes Vitalis condidit ar-

cem,

Hanc sacer Antistes propriam sibi vindicavit

Etiā Ecclesiæ dicuntur Martyria in l. generali 12. C. de sacros. Eccles. In canone 20. Concilii Gangren. dicuntur etiā Memoria, Confessiones, Prophetea, Apostolia, ut probant Ferrandus lib. 1. *disquis. reliq. cap. 3.* Gaspar Barthius lib. 1. *advers. cap. 4.* Bulenger. lib. 3. *opus. cap. 4.* Tituli etiā dicuntur, ut probavi in cap. 2. de preb. & etiā appellantur ædes sacræ, mutuato nomine à templis Romanorum, apud quos templum ædes sacra dicebatur, l. si in alia 7. ades, ff. de offic. Procons. l. 4. §. ult. cum l. sequenti, ff. famul. erosc. l. ades, ff. de contrahend. emptio. l. 1. §. si in pecunia, l. 5. §. final. ff. depositi. Denique communi voce dicuntur Ecclesiæ in omnibus canonibus à Gratiano compilatis sub distinct. 1. de consecr. & aliis innumeris congestis à Crespetio in summa, verbo Ecclesia. Illustrant Frances de Ecclesiast. Cathedral. cap. 15. per totum. Turriscrem. lib. 1. de Ecclesia, cap. 2. num. 1. Valenzuela contra Venetos p. 2. num. 4. non enim solum Ecclesia accipitur pro collectione omnium fidelium sub uno Præsule, capite firmiter, de summa Trinitate, sed apud Cyrill. Hierosolym. cateches. 18. apte Ecclesia vocatur, quasi dicas, convocatio propter omnium convocationem, & congregationem; sumitur enim pro loco, in quo fideles ad orandum, & verbum Dei audiendum conveniunt: quam Ecclesiam corporalem appellat textus in cap. si quis objecerit 7. quest. 3. facit D. Augustin. in Levit. quest. 59. ibi: *Hoc quodiannus usus observavit, ut in Ecclesiam prodire, & ad Ecclesiam confugere non dicitur, nisi qui ad ipsam locum, parietesque prodierit, atque confugerit, quibus Ecclesia continetur.* Quamvis Laurentius Valla lib. 4. elegant. cap. 47. scribat nefaire se, quo jure id fiat. Nobis enim suffecerit, vocem hanc usurpari non solum à Sanctis Patribus, verum à sacra Scriptura; cap. 6. Judith; ibi: *Et per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.* Et epist. 1. Pauli ad Corinth. cap. 11. in verbis suprâ relatis.

Deinceps sciendum est, Ecclesias esse ædificandas ex præcepto Ecclesiæ, quia alibi quàm in locis Deo sacratis Missæ sacrificium offerri nequit, cap. 1. cap. hic ergo 14. cap. nullius 15. statum. cap. Missarum, cap. unicuique 33. cap. clericos 34. cum aliis, de consecr. dist. 1. Concil. Cabilon. sub Carolo, can. 49. & reperitur lib. 7. Capitul. 51. in addit. Parisiens. sub Ludovico; lib. 1. cap. 47. & lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 6. Metense can. 5. In locis non consecratis, id est, in solaris, sive in cubiculis propter infirmos, vel longinque, à quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur, quod omnimodis interdictum est. Theodulphus ad presbyteros Aurelian. cap. 11. *Missarum solennia nequaquam alibi, nisi in Ecclesia celebranda sunt, non in quibuslibet domibus; & vilibus locis, sed in loco, quem elegerit Dominus, juxta illud quod scriptum est Deuterovi. cap. 12. Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in locum quem elegerit Dominus, ut ponas nomen suum ibi.* Plura Antonius August. lib. 13. epist. juris Pont. titul. 3. Jodocus Coccius tom. 1. thesauri, artic. 17. per totum; faciunt textus in

BBbb 2

authenti.

authent. ut in privatis domibus, collat. 5. authent. de Ecclesiast. titulis, §. si quis in sua domo, collat. 9. l. conveniunt, Cod. de Episcop. & Cleric. junctâ expositione Bassam. in nomocan. tit. 3. cap. 14. Pancirola lib. 2. variar. cap. 168. l. 4. & 5. titul. 10. partit. 1. Illustrant P. Henao tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 1. Salcado in praxi, cap. 39. Viccombes tom. 3. de ritib. Missæ, lib. 2. cap. 21. cum sequent. Andreas Saulay in Panopl. sacerdot. part. 2. lib. 1. art. 2. Pancirola lib. 1. variar. cap. 72. Basilius q. 2. scholast. cap. 2. in can. 3. Concilii Aliffiod. Barbosa de potest. Episc. allegat. 23. Mendo in Bula, disput. 16. Gutierrez lib. 1. canonic. cap. 30. num. 24. Azorp. institut. lib. 10. cap. 26. Suarez de Sacram. disput. 81. sect. 3. unde mortale peccatum erit extra calum necessitatis in loco non sacro celebrare. Probat Barbosa de potest. Episc. allegat. 23. num. 2. Immo & Clerici extra loca sacra celebrantes puniuntur pœnâ suspensionis, & excommunicationis, in cap. nullus 15. cap. si quis 35. de consecrat. dist. 1. & in d. authent. de Ecclesiast. titul. §. si quis in sua domo, præcipitur, domum, in qua sacra mytheria peraguntur sciente domino, publicari. Ratio hujus Ecclesiastici præcepti desumitur ex dignitate, & præexcellencia sacrificii Missæ; nam in lege veteri sacrificium offerre non licebat nisi in templo, & aris Deo dicatis, cap. 12. Deuteron. multo magis in lege Evangelica licere non debet offerre magnum Missæ sacrificium veteri illo præfiguratum, nisi in loco sacro. Quæ ratio adducitur in cap. 2. cap. sicut 11. de consecrat. distinct. 1. Et licet omnes fideles privata oratoria habere possint, non tamen possunt Missam ibi celebrare, cap. unicuique, 33. dist. quæ oblationis nomine significatur in can. 28. Concilii Aurel. adducto in cap. 2. de consecrat. dist. 1. nam hoc sacrificium vera, & perfecta oblatio est, cap. nihil 8. de consecrat. dist. 1. junctis traditis à Durantio lib. 2. de ritib. cap. 2. num. 1. D. Thoma 3. p. quest. 83. artic. 3. Scott. de sacrif. Miss. lib. 2. cap. 13. Unde publicè interesse Ecclesias construi, valdeque laudandos fore Principes, qui Ecclesiarum constructioni invigilant, probant latè Valdes de dignit. Regis, cap. 21. num. 2. Valenzuela contra Venetos p. 2. per tot. Solorzanus tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 23.

8.
Exceptiones ejusdem regule referuntur.

Ab hac tamen generali regula nonnulli casus in ipsis canonibus excipiuntur. Primus est, quando veniâ Episcopi in loco non sacro celebratur, cujus arbitrio hujus præcepti dispensatio jure communi commissa erat, d. cap. Missarum 12. ibi: *Vel ubi ipse permiserit*, cap. hic ergo 14. ibi: *In quibus Episcopus jussit*, de consecrat. dist. 1. Barbosa d. alleg. 23. num. 6. An verò hæc potestas sublata sit Episcopis per Trident. sess. 22. de observand. & de vitand. vers. neminem, dum præcipit, quod non patiantur Episcopi hoc sacrificium offerri extra Ecclesiam, & Oratoria ad divinum cultum dicata, & ab ipsis dicata, quarunt Interpretes? Et sublata esse eam facultatem docuerunt Gutierrez d. cap. 30. num. 25. Azor. d. cap. 26. q. 3. Contrarium tamen, immò eam potestatem sublata non esse, tenuerunt plures relati à Barbosa d. cap. 23. num. 8. sed cum constitutionibus Pauli V. & Urbani VIII. denegata sit Episcopis hæc facultas,

ut referunt Portel. in respons. regul. tom. 1. pag. 3. casu 20. Diana p. 29. tract. 1. resol. 42. non est dubium, Episcopos non posse uti prædictâ facultate jure communi sibi competenti, nisi in aliquibus casibus, quos refert idem Diana d. tractat. 1. resol. 44. Alius casus excipitur in d. cap. 1. cap. 2. cap. sicut 11. ibi: *Summa existente necessitate, de consecrat. dist. 1.* cum adeit gravis necessitas, ob quam licet extra loca sacra Missæ sacrificium offerre: quod est accipiendum de communi necessitate, veluti si veritate, igne, aut hostium impetu Ecclesiæ concuerint, licebit extra eas in tentoriis, aut ædibus privatis Missam celebrare, cap. concedimus, eadem distinct. vel ob infidelium timorem; unde olim fervente Gentilium persecutione in carceribus, latebris, & privatis ædibus Missæ sacrificium offerebatur, ut referunt Cornel. Papa in epist. ad Lupicinum; Divus Augustinus contra Donatistas post collat. cap. 14. Gregorius Turon. lib. 2. hist. cap. ultim. quæ Missa privata ad differentiam illarum, quæ publicè celebrantur, dicta est: de quibus Missis privatis plura congesserunt Suarez contra Regem Angliæ lib. 2. cap. 6. Claudius Elyceus in tractat. de Missa publica, & privata, Gibalinus de clasur. regul. disquisit. 1. cap. 2. §. 2. Ambianus ad Terent. de exhort. castit. cap. 7. observ. 2. & de pudicitia cap. 3. observat. 3. Corjolanus in breuario anno 175. Unde hodie poterit in provinciis infidelium, aut hostium Ecclesiæ, in quibus templorum liber usus non est, in privatis domibus, aut oratoriis celebrari. Tertia exceptio prædictæ regulæ nascitur ex favore personarum specialium, quibus nominatim concessum est, ut extra Ecclesiam possint Missam celebrare; quo in numero sunt Episcopi, cap. final. de privil. in 6. l. 4. tit. 10. p. 1. nec interest, an sint consecrati, dum electi, & confirmati reperiantur. Felinus in cap. eam te, vers. 3. de rescript. quod etiam concessum est Fratibus minoribus, & prædicatoribus in cap. in his 30. de privil. in cap. 2. de celebrat. Missar. in 5. compil. videlicet, quod in altari viatico, quod secum deferant, possint celebrare sine ullo parochialium Ecclesiarum præjudicio: quod privilegium fuit confirmatum à Sixto IV. Alex. VI. Gregor. XIII. & etiam concessum Patribus Societatis Jesu, ut refert Barbosa supra num. 2. utrumque tamen privilegium abrogatum esse per Tridentinum d. sess. 22. tenuerunt plures relati à Barbosa supra. Sed contrarium, videlicet sublatum non esse, defendit Bruno Chafsaing. de privileg. regul. p. 2. tractat. 8. cap. 1. præpos. 1.

Nec supra traditis obstat constitutio 4. Leonis, quæ extat post novellas Justin. ubi cavetur, licere omnibus Sacerdotibus in quibuslibet privatis ædibus Missæ sacrificium offerre: quâ difficultate oppressi Gothofredus ibi, Fornerius lib. 6. rer. quotid. cap. 6. existimant, eâ constitutione, veluti noviori, corrigi, & emendari constitutiones Justiniani; de quibus in d. authent. de Ecclesiast. titul. §. si quis in sua domo; & in d. authent. ut in privatis domibus. Sed illis omisissis dicendum est, Imperatorem Leonem in eo textu non præscribere modum circa loca, in quibus est sacrificandum, quod erat antea definitum, tam per sacros Canones, quam post Justinianum; ideoque dum in privatis domibus sacrificium Missæ offerri permittitur subau-

subaudiendus est in casibus à jure permisis, vel cum licentia Episcopi adest: tantum enim Leo explicat jus, quod observandum est circa personas, quæ possunt in privatis ædibus Missam celebrare, quod antea declaratum non erat; docetque in locis permisis hoc jus competere omnibus clericis, non solum illis, qui nominatim oratoriis adscripti sunt, & veluti ibi instituti; sed etiam aliis clericis adscriptis majoribus Ecclesiis: nam eo quod oratorium Episcopi auctoritate constructum est, aut ab eo concessa est licentia ibi Missam celebrandi, quilibet presbyter potest in eo Missæ sacrificium offerre. Nec huic solutioni obstat textus in cap. Clericos, de consecr. dist. 1. ubi statuitur, clericos Missam celebrantes in oratoriis privatis sine licentia Episcopi, deponendos esse: quasi specialis licentia desideretur, non solum ut in loco sacro celebretur, verum ut clericus habeat facultatem celebrandi. Quia dicendum est, alium potius esse illius canonis sensum, ut scilicet præcedere debeat licentia Episcopi circa locum, ubi celebrandum est; non tamen circa personam celebrantis, quia in loco permisso, seu per Episcopum deputato quilibet celebrare potest.

10. De Eccle-
sæ formæ.
Hucusque non solum pium, utilemque, immo & necessarium esse Ecclesiarum usum probavimus; verum quia loca sacra non facit privata auctoritas, sed solennis, & publica, l. in tantum 6. §. sacre. ff. de ver. divis. unde & templa Gentilium certis adhibitis ritibus dedicari moris fuit, ut probant Briffonius lib. 2. antiquit. cap. 2. & 3. & de formulis lib. 1. fol. 125. Stuckius de sacrif. Gentil. fol. 56. Ambianus ad Tertul. in apol. cap. 13. observat. 2. formam, & leges dedicationis arafatis eleganter expressit Liptius inscrip. 8. fol. 18. & ex eo illustrat D. Joseph. Pellicer. ad Polyphemum Gongore, fol. 154. Sic in constructione templorum religionis Catholicæ multa observantur, ut divinis usibus Ecclesiæ mancipata ab humano commercio eximantur. Primum enim desideratur, ut ab aliis ædibus distincta sint, & separata templa, nullis aliis parietibus contigua, sicut insula in medio maris sunt: quare Ecclesia insula appellatur à D. Cyril. in comment. ad Isaiam, cap. 24. D. Hieronymo in enchirid. Prophetam, cap. 49. qui docent, ad templa Catholica respexisse Isaiam in illis verbis: In insulis maris gloriam Domini Dei. Deinde observari oportet, ut Ecclesiæ construuntur in modum navis; quod ab Apostolis acceptum tradit D. Clemens lib. 2. constit. cap. 57. & in epist. ad Jacobum fratrem Domini: plura tradit Crespetius in summa, verbo Ecclesia, ideoque ipsa universalis Ecclesia allegoricè navis appellatur, ut probat Turrisferem. lib. 1. de Eccles. cap. 33. quia, ut ait D. Ambrosius serm. 11. de mirabilib. inter mundi procellas Ecclesia quos suscipit, servat illaxos. Latè illustrat Theophilus rom. 2. sect. 5. cap. 6. fol. 510. & nos notavimus in cap. inter, de offic. ordin. num. final. Deindereceptum apud veteres invenio, ut altare Ecclesiæ ad orientem collocetur, janua autem ad occidentem, ut Apostolica traditione receptum tradunt D. Clemens lib. 2. constit. cap. 57. Justinus Martyr, q. 118. D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 9. ibi: Cujus rei significandæ gratiâ cum ad orationem stamus, ad orientem convertimur. Sanctus Joannes Damascenus lib. 4. de D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

fide orthodox. cap. 13. Tertul. in Apolog. cap. 16. Ad orientem suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocens; capite nudo, quia non erubescimus. Origenes homil. 5. in Numer. Quid genua flelimus orantes, & quod ex omnibus partibus caeli ad solam orientis plagam conversti orationem fundimus. Sidonius Apollin. lib. 2. epist. 10.

Ædes celsa niter, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Orum prospicit æquinoctialem.

Oportuit enim templa eo situ erigi, quia antiquus Christianorum usus ferebat orare ad Orientem, ut significaretur, quod sicut ea ex parte lux corporea advenit, ita orantibus lucem de cælo affulgere: quam rationem assignat Walfridus de rebus Eccles. cap. 4. quamquam Gregorius Nyssenus orat. 5. in Orat. Dominic. censet, eam esse professionem peregrinationis nostræ, quæ remigrare satagimus ad Orientem, situmque in eo paradysum, à quo excidimus. Damascenus verò d. cap. 13. habitam censet rationem situs Christi in cruce, in qua pependit facie ad Occidentem obversa, ut bene asserit Molanus lib. 4. de imag. cap. 4. & jam olim Lucas Tudenfis lib. 2. contra Albigen. cap. 12. ac Hugo Hetherianus lib. 1. de regress. ad infant. cap. 14. & probat Theophilus de sancto Latrone, cap. 6. num. 7. Quasi ergo ad Christum cruci affixum facies obverterent, orabant antiqui facie conversa ad Orientem. Illustrant Joan. Dartis ad dist. de consecr. Cabassutius in not. Concil. ad Concil. Chalcedon. distrib. de veterum Ecclesiar. forma, Durantius lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 4. Bellarminus lib. 4. de cultu Sanctorum, cap. 3. Menardus in not. ad Sacram. D. Gregorii, pag. 156. Elias Schedius de Diis German. cap. 30. fol. 372. qui probat latè, etiam apud Gentiles templa ad Orientem semper constructui: quod & docuerunt D. Isidorus lib. 15. orig. cap. 4. Vitruvius lib. 4. architect. cap. 5. Quæ omnia ita cavenda sunt si commodè fieri potest; aliàs si propter loci incommoditatem Ecclesia constructi non potest, de his curandum non est, ut notavit Bellarminus d. cap. 3. vers. Alterum.

Deinde in Ecclesiarum constructione & dedicatione adhiberi debet Episcopi auctoritas, aliàs sine ea domus prophana semper erit, nec proprii poterit ministerii ecclesiasticis deservire, cap. Episcopi, nemo 9. de consecr. dist. 1. cap. de monachis 12. juncto cap. quidam 30. 18. quest. 2. cap. 1. capite constitutus, de relig. domib. cap. olim 14. de privit. auctent. de monachis, §. illud, collat. 3. auctent. de Eccles. tit. §. si quis autem, collat. 9. cap. penult. de prescrip. l. 2. tit. 10. part. 1. & ab eo debet consecrari, ut ab ipso tantum, vel ab his, qui Episcoporum vice funguntur, consecrantur res sacræ, ut constat ex variis auctoritatibus congestis à Balsamone in nomocan. Phocis. titul. 2. cap. 2. pag. 47. Auton, Augustin. in epist. inr. lib. 13. titul. 4. probat Molcon. de Majestat. Eccles. 1. part. cap. 8. §. 2. Bellarmin. lib. 3. tom. 1. controvers. cap. 5. & 6. Barbosa de jure ecclesiast. lib. 2. cap. 2. & de potestat. Episcop. allegat. 27. qui ad calcem ipsius operis refert formam consecrationis Ecclesiæ. Hallicrius de Episcopor. institut. lib. 2. cap. 4. Uti de Episcopus debet apponere primarium lapidem, locum altaris, & atrium designare, l. finali, C. Theodos. de Pagan. novel. 5. Justin. capite 1. & nov. 123. capite 33. & crucem figere,

re, *dict. cap. nemo, dict. novel. 5. & 67. cap. 1.* quæ crucis fixio dicitur *Stauropogium in dict. novel. 5. cap. 1.* Illustrant *Grethferus lib. 2. de cruce, cap. 14.* *Germonius lib. 2. de sacror. immunit. cap. 1. & lib. 3. cap. 1.* *Meurlus in glossar. verbo Stauropogion, Fil. fac. in cap. 7. de offic. Ordin. §. 1.* *Zerda in aduers. cap. 127. num. 8.* quam dedicationem facere debet convocatis presbyteris. *Concil. Auriac. can. 10.* *Gregorius Taron. de gloria Confess. cap. 20.* *Fortunatus lib. 3. ad Felicem, de dedic. Eccles.* cum precibus ad id intitutis recita is, *dict. authent. de monachis, §. illud, dict. l. 2. partit.* ut etiam apud Gentiles in more fuit spatium illud, quod templo dicabatur, prius solennibus sacrificiis lustrare. Episcopus debet esse proprius loci, ubi Ecclesia construitur. *Concil. Auriac. dict. can. 10. ibi: De dicatio illi omni modo reservatur, in cuius territorio Ecclesia assurgit.* *Aurelian. can. 1. & 3.* *Wormat. can. 1.* probant *Savarus ad Sidon. lib. 4. epist. 15.* *Corjolanus in not. ad can. 14. Apost.* Poterit tamen Episcopus munus hoc alii committere, ut probat *Glossa in dict. cap. nemo, verbo Veniat, Azor p. 2. Instit. lib. 9. cap. 3. quest. 8.* Nec tunc obstant textus in *cap. de locorum 4. cap. precepta 5.* cum tribus sequentibus, *de consecr. dist. 1. ubi statuitur, Ecclesias non posse dedicari sine summi Pontificis licentia, seu Sedis Apostolicæ auctoritate; unde deducitur, non sufficere Episcopi consensum.* Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt *Glossa, & Turriscrem. ibi, Suarez de sacram. disput. 81. sect. 2. §. dico.* Sed dicendum est, ad constructionem, & dedicationem Ecclesiarum sufficere auctoritatem Episcopi diocesani, *dict. cap. nemo, ead. dist. 1.* sed ad constructionem Ecclesiarum in uniuerso orbe desiderari Pontificis licentiam, quia Episcopi tantum in suis diocesisibus ipsam præstare possunt, ut docuerunt *P. Gregor. lib. 1. partit. titul. 4. cap. 9.* *Germonius lib. 1. de sacror. immunit. cap. 2.*

12.
De altari
& eius
consecra-
tione.

Nec solum Ecclesiæ publicè construi, & dedicari debent, verum & altare consecrari oportet, nec aliter ibi Missæ sacrificium celebrari potest, *cap. nullus 25. cap. concedimus 30. de consecr. dist. 1.* late probant *Jodocus Coccius lib. 6. thesaur. artic. 9.* *Monchiacenus de sacrif. Missæ, 2. p. cap. 10.* *P. Henao eod. tract. tom. 2. disput. 24. sect. 1.* Ab altitudine altare appellari, quasi alta ara, voluit *Seruius ad lib. 2. Virgilius*, ad illud: *Nec quicquam altaria:* & confirmant *Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 3.* *Vitruuius de architect. lib. 4. cap. 5.* unde ab altitudine tribunalis altare tribunal dici solet, *l. final. C. Theodos. de relar. l. 8. eodem C. de fcar. l. final. eod. C. de locat. fundor. novel. 4. Valentin. novel. Anthemis, de his qui se seruis junxerunt.* Ara verò à rogationibus appellatur: licet apud Gentiles illud discrimen daretur inter aram, & altare, quòd ara erigebatur Diis superis, & inferis; altare verò solum superis. *Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2.* Illustrant *Stuckius de sacrif. fol. 64.* *Mendoza in virid. lib. 8. sect. 8. de forma ara, & modo eam erigendi.* Plura adduxerunt *Beyerlinck. in theatro, verbo Altare, Bulengerus lib. 5. opusc. de templis, cap. 24.* *Theophilus tom. 4. lib. 4. sect. 3. cap. 1. fol. 359.* *Lipius in notis ad Tacitum, lib. 1. not. 75.* *D. Joseph. Pellicer. ad Polyph. Gongora, pag. 152.* Altaria verò duplicis generis sunt, alia fixa, & magna, cum tota mensa sacrificiis destinata consecratur; alia verò minora, quæ vulgo aras dicimus, quæ ad

minus capere debent calicem, & patenam, & desideratur ut sint lapidea, *cap. altaria 31. de consecr. distinct. 1. l. 12. titul. 10. partit. 1.* *S. Gregorius Nyssenus orat. in Christi baptismum:* In hoc altari, sanctum, cui assistimus, lapis est suâ naturâ communis, nihil differens ab aliis crucis, ex quibus nostris extruuntur parietes, & pavimenta ornantur: sed quoniam Dei cultus consecratus est, & benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum. Illustrant *Cironius in parat. ad hunc tit. Saufay in Pan. sacer. sup. fol. 478.* *Joannes Dartis ad dist. 1. de consecr. P. Henao dict. disputat. 24. sect. 1.* Non tantum propter rationes mysticas, videlicet quod Christus, qui in altari consecratur, petra dicitur apud *D. Paulum epist. 1. ad Corinth. cap. 10.* & quia in sepulchro lapideo fuit reconditus, quas adducunt *Glossa in dict. cap. altaria, D. Thomas 3. part. quest. 83. artic. 3.* sed ut diu seruentur illæ, novaque non indigent consecratione, ut observavit *Turriscrem. in eodem textu.* Nec obstat quod in lege veteri altaria lignea erant, *Exodi cap. 22. aliquando aurea, lib. 3. Regum, cap. 7.* nonnumquam terrea, *Exodi cap. 20.* *Pineda de rebus Salomonis lib. 5. cap. 8.* Quia respondetur, quod in lege gratiæ designari debuit materia communis, ex qua apud omnes gentes altaria erigerentur, quæ diuturno tempore sacra manerent, & in quibus cum debita reverentia sacrificium offerri posset. Nec etiam obstat textus in *cap. concedimus, de consecr. dist. 1. ubi docetur, sacramentum altaris confici posse in tabula, si necessitas adsit.* Nam textus ille accipiendus est quando mensa altaris ex tabulis confecta habet lapideum altare mobile consecratum, ut hodie passim contingit, & contra *Molineum* talem ulum probat *Saufay in Panopl. sacer. p. 1. lib. 1. cap. 1.* nam totum lapideum altare tabula dicitur in *cap. lignis 6. hoc tit.* & ipsa ara tabella appellatur intra *cap. quod in dubiis.* Est ergo sensus prædicti canonis ut in publica necessitate liceat extra Ecclesiam celebrare, si tamen subist altare cum reliquis ad sacrificium necessariis, *Frances de Eccles. Cathed. cap. 5. num. 118.* *Martinez à Prado de Eucharist. quest. 83. amb. 18.*

Ecclesiarum verò, & altarium hanc consecrationem perdidit hæretici, qualiviam, & *D. rithus super titulum, videlicet Magdeburgens. cent. 4. titulum 10. cap. 6.* *Calvinus lib. 3. instit. cap. 20. §. 30. & 31.* alii apud *Jodocum Coccium dict. artic. 9.* quos doctè refellit *Turrianus lib. 2. pro canonis, cap. 19. & 20.* nec fundamenta alia confingunt, quam quod sunt resinanimes, gratiæ Dei expertes, & quod ritu vano & superstitioso consecratio peragatur. Sed facile ipsi reselluntur, quia hæc consecrationis usus concorditer receptus fuit tam in lege naturæ, & veteri, quam in lege gratiæ. In lege naturæ, nam ut habetur *Genesii cap. 28.* *Jacob* crexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, & appellavit domum Dei. In lege scripta *Moses* consecravit oleo sacro, aliisque caeremoniis tabernaculum, altare, & omnia vasa sacra. *Exodi cap. 40. & Numeror. cap. 7.* refertur in *cap. 2. de consecr. dist. 1.* & tradit *Petavius de hierarch. Eccles. lib. 3. cap. 5.* Et in lege gratiæ est præcepta, & simul recepta consecratio Ecclesiarum, & altarium, *dict. cap. altaria, cap. Ecclesias, de consecr. dist. 1.* cum aliis congestis à *Bellarmino dict. lib. 3. cap. 5.* Solennitates autem; quibus Eccle-

Ecclesiæ, & Altaria consecrantur, ut constat ex Fulberto episc. ad Adeodatum, P. Damian. serm. 1. & 4. de Eccles. dedic. Blesens. serm. 36. S. Bernard. serm. 1. de Eccles. dedic. S. Augustino serm. 53. 55. & 252. S. Victoris lib. 2. de sacram. p. 5. cap. 2. & 3. quarum mysticam significationem recensere operosum potius quam utile esset; referre tamen sat erit. Et quidem in consecratione templorum hæc interveniunt. Primò vicini Episcopi advocantur, saltem duo. Savarus ad Sidonium lib. 4. epist. 25. licet unus sufficiat. Theophilus tom. 16. in Heteroc. p. 2. punct. 8. Secundò accenduntur duodecim candelæ in circuitu Ecclesiæ, juxta parietes templi. Tertio Episcopus ter circumit templum; & cum ad portam accedit, ter superluminare percutit baculo pastorali; & tunc ostium aperitur. Quarto ingreditur Pontifex templum. Quintò cinere consperso per pavimentum Ecclesiæ, baculo pastorali scribit Episcopus alphabetum Latinè, & Græcè, usque ad A. B. C. incipiens à cornu altaris sinistro usque ad partem ostii dexteram, & finiens in modum crucis à cornu altaris dextro usque ad partem ostii sinistram: debet autem admixtus esse cinis cum vino, sale, & aqua benedicta. Sextò unguuntur oleo sacro cruces duodecim in parietibus depictæ, quarum tres respicere debent ad orientem, tres ad occidentem, tres ad septentrionem, & tres ad meridiem: quas cæremonias proponunt, & explicant Alfonso noster in l. 14. & segg. tit. 10. p. 1. Bellarminus dict. cap. 3. §. quin ergo, & sequent. Durantius dict. cap. 24. num. 8. Carrier. tom. 2. Digest. fid. cap. 8. Vicecomes tom. 3. de Missa ritibus, lib. 2. cap. 23. Menardus ad Sacram. D. Gregorii, fol. 194. Frances de Eccles. Cathed. cap. 34. de dedic. Turriserem. in cap. omnes, de consecr. dist. 1. Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 6. Hugo à Sancto Victore de sacram. 5. p. cap. 2. & 3. Guill. Durantius lib. 1. ration. cap. 7. Joan. Darts ad dist. 1. de consecr. In consecratione altarium plura alia interveniunt. Primò Episcopus incipit adiutorium petere à Domino: Secundò aquam benedicit: Tertio aqua ipsa quinque cruces facit in altari; in medio unam, in cornibus reliquas quatuor: septies Episcopus altare circumit; deinde ponit reliquias cum tribus granis thuris: incensum in ipso altari cremat, altare ungit chrisimate, deinde illud operit; & involvit lineis pannis, & tandem illud benedicit: quarum cæremoniarum rationem explicant Doctores supra laudati; & Turriserem. in dist. cap. altaria: unde descendit, templa sancta; & religiosa loca esse, veneratione, & cultu digna, quia consecrationis solennitate sacra efficiuntur, & sunt divinâ speciali virtute prædita, ab spiritibus immundis libera, & Angelorum ministerio sociata, ut probant Bellarminus dict. cap. 5. vers. 3. Suarez de Sacram. disput. 81. sect. 2. §. Dico secundò. Et quamvis gratiam Dei non suscipiant, quasi res inanimata, & irrationales; attamen per consecrationem assequuntur quandam spiritualem virtutem; quâ disponuntur, & redduntur apta divino cultui; suntque congruentiora ad illum finem aliis prophanis locis. D. Thomas 3. p. quest. 83. artic. 3. Suarez & Durantius supra. Sed licet olim omnes Ecclesiæ consecrantur, hodie autem similes consecrationes non sunt ita frequentes; sed earum loco successit benedictio; quia facilius Ecclesiæ benedicuntur, quam consecrantur; & si fuerint pollutæ, facilius etiam re-

conciliantur, cap. final. hoc tit. Etiam olim altare consecrari potest absque eo, quod in eo reliquiæ includantur, quod olim fieri nequibat, cap. placuit 26. de consecr. dist. 1. probant latè Antonius August. in epit. jur. lib. 16. tit. 3. D. Sancius de Avila de vener. reliq. lib. 3. cap. 1. Zerda in advers. cap. 98. Duceus in not. ad epist. 22. D. Paulini, fol. 28. linea 1. Menardus ubi supra; Vivar. post notas ad Marcum Maximum, in tract. de vener. Sanct. §. 1. Ferrandus lib. 1. disquisit. reliq. cap. 3. sect. 2. & cap. 9. artic. 1. Quare altaria tantum unctioe Chriftimatis, & benedictione sacrantur, cap. altaria, de consecr. dist. 1. Probat Schacus de vener. Sanct. cap. 4. sect. 10. Stuckius in not. ad Arrianum, fol. 75.

Ex his apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cum altare, ubi sacrificium Missæ offertur, debeat esse consecratum; ex supra traditis; & consecrationem retinere, ex cap. proposuisti 4. hoc tit. si eam non retineat; immò motum sit, vel fractum, ita ut veterem usum; & formam amittat, debet denuò consecrari. Idem etiam dicendum est de Ecclesia, nam novâ indiget consecratione, si ejus parietes incendio, aut terramotu ceciderint, dict. cap. Ecclesiæ 20. latè probat P. Henao tom. 2. de sacrif. Missæ, disp. 23. sect. 7. quod non procedit, si Ecclesia reficiatur; parietes autem salvimaneant, cap. ligneis 6. hoc tit. & utrumque optimâ ratione; nam cum destruitur locus, consecratio ipsa evanescit, cap. si motum 19. de consecr. dist. 1. Cum autem locus salvus manet, licet refectus, & aliis tabulis reparatus, non est ratio cur dicamus virtutem consecrationis amittere. Nec dici potest, omnem locum consecratum manere, quoties pars aliqua consecrata remansit, ut magis dignum accessione quadam trahat ad se minus dignum; cap. quod in dubiis, hoc tit. quia hoc procedit quando res prophana sacræ commiscetur, ita ut discerni; & separari una ab alia non possit; cum autem distingui potest, non intelligitur accessionis vice esse sacræ: unde si motum fuerit altare, & ita amiserit consecrationem; illud tantum consecrari debet, non autem Ecclesia, quæ sacræ adhuc manet.

Nec obstat dubitandi ratio deducta ex auctoritatibus Anselmi, & Ivonis; nam argumento formato ab Anselmo respondetur, durationem consecrationis in Ecclesia non dependere à consecratione altaris, cum æquè principaliter se habeat; nec in hac parte datur quid accessorium; unde etiam moto, seu fracto altari, durat consecratio Ecclesiæ. Ratiocinio etiam Carnotensis respondetur, argumentum illud tantum esse metaphoricum, seu mysticum; unde non est deducendum ad realem consecrationem altaris, vel Ecclesiæ: Nec tandem obstat textus in dict. cap. si motum, cap. de fabrica: pro quorum expositione dicendum est quoad primam partem, quæ habet, moto altari, Ecclesiam violari; in ea questione Pontifices dissentisse, & secundum doctrinam antiquorum canonum Ecclesiam violatam censeri cum violatur altare, ex dict. cap. si motum: sed canones noviores, quibus standum est; ab ea sententia discedentes, declarasse hunc violationis casum non extendi ad Ecclesiam, sed tantum ad ipsum altare: unde in præsentis textu sic ait Pontifex, licet quidam canones aliud innuere videantur, respiciens ad dictos canones si motum, & de fabrica, ut jam notavit Vazquez 3. p. in 3.

in 3. part. *diffnt.* 233. *quæst.* 83. *cap.* 2. & ita juxta præsentem text. in dicendum est, quod si altare consecratum movetur è loco ubi consecratum est, & in alium transfertur, aut in sua forma mutatur, vel sigillum altaris mutationem sustinet, novâ indiget consecratione; non tamen ideo Ecclesiæ consecratio iteratur: ex translatione verò, seu mutatione altaris portatilis non datur ipsius violatio, *cap. concedimus* 30. *de consecr. dist.* 1. nisi ipsum frangi, aut majori ex parte destrui contingat, juxta ea, quæ adducit P. Henao *com. 2. diffnt.* 24. *sect.* 3. Quod attinet ad secundam partem, difficilius est sententia textus in *dist. cap. si motum*, quatenus dicit, quod si parietes mutantur, & non altare, sale exorcizetur Ecclesiæ; nam omnem consecrationem redintegrandam esse probat textus in *dist. cap. Ecclesiis*. Sed est dicendum, sententiam dicti capituli *si motum*, procedere quando non mutantur funditus parietes, sed major pars consecrata salva remanet, ut probat Glossa *ibi*, verbo *Mutat*; nam si funditus everterentur, & denuò extruerentur, integrè esset conficienda consecratio, *dist. cap. Ecclesiis*: immò addendum est, quod cum major pars consecrata salva remanet, ex consilio tantum fit reconciliatio, non autem ex præcepto. Unde exponendus est textus in *cap. lignis* 6. *hoc tit.* dum ait, neque Ecclesiam, nec altare esse iterum consecrandum, si parietibus Ecclesiæ illatis, & mensâ altaris modicam partem fracturam, lignea ædificia Ecclesiæ consumpta fuerunt; non enim mutatione altaris Ecclesiæ violaretur, aut altare Ecclesiæ mutatione; sed reddendo singula singulis, ideo nulla est violatio altaris, aut Ecclesiæ in specie, quia neque in altari contingit casus violationis, quia modica fuit fractura, & ad violationem intervenire debet mutatio, aut fractura in majori parte: in Ecclesiâ quoque nulla intercessit violatio, quia parietes non mutantur, quod exigitur ad violationem, ex supra traditis. Non tamen est omittendum discrimen, quod in hac parte versatur inter jus civile, & ecclesiasticum; nam jure civili infimum etiam solum aræ ipsius templi consecrabatur, juxta duas formulas consecrationis, quas refert Brissonius *de formulis*, pag. 115, unde ædes sacræ manebant jure Romanorum Gentilium etiam post dirutum ædificium, *l. ades sacræ* 73. *ff. de contrab. emption.*

S. sacræ, vers. Locus, Instit. de ver. divif. Seneca *de consolat. ad Helviam*, *cap. 13. in fine.* apud nos verò juxta sacros canones domus dedicatur, ut talis, & ut Ecclesiæ fiat; quare in forma ipsa consistit consecratio, eaque perempta, penitusque collapsâ, definit locus sacer esse, *cap. defabrica* 24. *de consecr. dist.* 1. unde usu evenire cernimus, ut ædificia, quæ olim sacris usibus erant dedicata, formâ veteri amissâ, vel penitus collapsâ, redigantur ad prophanos usus, & in privatorum dominio permaneant, quia excurrunt religionem: docent Azor. *instit. mor. part. 2. libro 10. cap. 26. quæst.* 12. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 27. *ex num.* 14. Canisius *ad hanc ritul.* aliâs consecratione manente, non potest locus ipse ad humanos usus transferri, *capite nulli* 4. 12. *quæst.* 2. *cap. semel.* 4. 19. *quæst.* 3. *cap. comperimus* 2. 14. *quæst.* 6. *cap. ligna* 38. *cum sequens. cap. vestimenta* 42. *de consecr. dist.* 1. *cap. semel.* 51. *de R. l. lib.* 6. & jure civili locus sacer prophanus fiebat, si ex lege, vel Senatusconsulto locus ipse alibi transferebatur, ut constat ex Plinio *lib. 10. epist. paulo post medium*; quo modo accipit textum in *l. intra* 83. *§. sacram. ff. de V. O.* in illis verbis: *Si res sacra lege aliqua profana fiat*, D. Joseph. *Retes in repetit. prælect. ad ipsum textum*, *num.* 12. Alio etiam modo apud ipsos solvebatur locus sacer religione, videlicet, si numina, quæ ibi colebantur, solenni carmine evocarentur, quod ex Macrobio, & Servio refert Brissonius *lib. 1. de formulis*, pag. 63. & 64. Illustrant P. Faber *lib. 2. semestr. cap. 4.* alii apud Osualdum *lib. 4. Donelli*, *cap. 1. lit. P.* cujus evocationis creditur extare vestigium in *l. sacræ, §. illud. ff. de ver. divif.* quæ evocatio plerumque fiebat in oppugnatione urbium hostium, ut de Bejorum urbe narrat Livius *lib. 5.* & de Carthaginensibus carmen ipsum refert Macrobius *lib. 3. Saturn.* *cap. 15.* quia sacra loca ab hostibus capta profana censentur, nec victor eorum religione tenebatur, *l. cum loca* 36. *ff. de religiof. superstitiosè enim ipsi credebant Deos sponte sua ab urbibus devictis aufigisse*, ad victoresque se transfuisse: quod delirium illustrat Zerda *ad lib. 2. Aneid. Virgil. vers.* 351. Apud nos verò loca ipsa Deo dicata semper in iis casibus sacra manent, *cap. pastoralis* 13. *quæst.* 1. *cap. prima actione* 26. *quæst.* 3. docet de Joseph. *d. Retes lib. 6. opusc. cap. 2.*

CAPUT II.

Idem (a) Tornacensis.

Tua fraternitas requisivit à nobis, utrum tibi dedicatione Ecclesiarum, tam diebus Dominicis, quam privatis liceat celebrare? super quo tibi duximus breviter respondendum, quod in diocesi (b) tua, tam Dominicis diebus, quam privatis, tibi Ecclesiæ dedicationes impendere licet.

NOTÆ.

1. (a) **Tornacen.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. de dedic. Ecclesiarum, cap. 1.* De diocesi Tornac. nonnulla notavi in *cap. 7. de rescript.*
(b) **Diocesi tua.**] Altarium, ac ædium sacrarum inaugurationes solis licet aggredi Pontificibus,

in quorum diocesi consecrantur, *cap. nemo, cap. his ergo* 14. *cap. nullus* 25. *de consecr. dist.* 1. *cap. 28. 7. quæst.* 1. Concil. Arausic. *can.* 100. *ibi*: *Dedicatio illi omni modo reservatur, in cuius territorio Ecclesia assurgit.* Aurel. *1. can.* 13. & 8. *ibi*: *Patriarchæ si obierit, nullus Episcopus, &c. aut in civitate, aut per parochias altaria audeat consecrare, si fecerit, anno integro Missas facere non præsumat.* Wormat.

Worm. *can. 1.* quod & in consecratione personarum, & aliarum rerum similiter definitur in *cap. 1. §. ad Episcopum, 25. dist. cap. quamvis, 68. dist. cap. quod sedem 10. de offic. ordin. cap. penult. §. Christina, de prescript.* Savarus ad Sidonium *lib. 4. epist. 15.* Ant. August. *lib. 4. in epist. tit. 48.* & notavi supra in *cap. 1. de relig. domibus;* & si quidem ab alieno Episcopo contrarium temerè præsumptum fuerit, consecratio quidem tenet in hoc, ut manente suo subiecto; nunquam deleri possit: quem sacramentalem effectum appellavit D. Thomas 2. 2. *quest. 39. artic. 3. in conclus.* & sic accipiendum est Anacleti decretum in *can. Episcopus in diocesim, 7. quest. 1.* sed temerè consecranti, præter ejus, quod interest in civilem exactionem, perpetuò insuper depositionis poena ipso jure irrogatur, si spectemus Concilii Antiocheni antiquam severitatem, *cap. nullum, 9. quest. 2.* vel certè exercitii Pontificalium per annum suspensionis, ex Concilio Aurel. supra relato, & Trident. *sess. 6. olere form. cap. 5. & sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8.* immò Ecclesiam ipsam aliquando legimus divinitus everlam; nam Rodolphus Glaber refert, ventis, ac tempestate disjectam, & dissipatam Ecclesiam monasterii Lucanensis in pago Turonico; quam Fulgo Andegavorum Comes extruxerat; cum eam Petrus quidam Cardinalis contra voluntatem Hugonis Turonensis Archiepiscopi consecrare meditaretur: quod ita refert Glaber monachus; & cum multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulque præsentibus, ac futuris, ne huic simile agerent; evidens indicium fuit.

COMMENTARIUM.

Eccliam constructam consecrandam esse divinis præcipibus definitur in *cap. 1. cap. Eccle-*

stias 13. cap. omnes, de consecr. dist. 1. à D. Clemente *epist. 2. ad Jacobum,* Euaristo apud Burchardum *lib. 3. Decret. cap. 27.* & usum illum invaluisse à temporibus Apost. tradunt Eusebius *lib. 4. de vita Constant. cap. 40. & lib. 10. cap. 3.* Theodor. *libro 1. cap. 30. & docent Durantius lib. 1. de ritibus Eccles. cap. 24. Cochier in face hist. cent. 2. cap. 29.* eamque perficere posse Episcopum; tam diebus Dominicis, quam feriatis; in præfenti docet Innocentius, dum tamen Missæ sacrificium offeratur; *cap. omnes 3. de consecr. dist. 1. Barbosa de potest. Episc. alleg. 27.* quam ipse celebrare potest, vel alii presbytero committere; dum tamen Episcopus consecrationis ritum expleat, *l. 18. tit. 10. part. 1.* quia hæc facultas competit Episcopo ratione ordinis; & ita delegare non potest; ut dicemus infra in *cap. aquam 9.* In nostra verò Hispania contrarium; immò tantum diebus Dominicis consecrationes Ecclesiarum fieri posse, non sine ratione statutum fuit in Concilio CæsarAugust. *can. 1.* his verbis: [In sanctum & satis venerabile Concilium residentibus nunciatum est nobis; quod aliqui Pontifices regulam veritatis prætermitentes, Ecclesias, quæ à fidelibus piâ devotione construantur; extrâ diebus Dominicis consecrant. Si ergo cum quisque nostrum mortalium ad sacerdotale promovetur officium; nullatenus parimur; ut in reliquis diebus; nisi tantum Dominicis festivitibus, ii qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur Ecclesiastico; quanto magis ut dedicata sancta templa; quæ ab hominibus fidelibus censentur honorificanda; sine diebus Dominicis perhibeantur consecranda; cujusque ergo talium præsumptiones Pontificum non solum Sanctorum Patrum cohiberemur prohibere sententiâ, sed propriâ deliberatione censemus; ut nulli penitus Pontificum in quibuscunque provinciis constitutis à modò liceat præter certis diebus Dominicis Ecclesias sanctas consecrare.]

CAPUT III.

Idem (a) Nidrosiensis Episcopo:

Quod in dubiis. Et infra: Altare verò, in quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur; semota fuerit, vel enormiter fracta, debet non immeritò (b) consecrari: nec negamus; quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri:

NOTÆ.

(a) **N**idrosiensis. Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de dedicat. Eccles. c. 2. & in cap. quod in dubiis, de renunc.* ubi alias partes hujus decretalis congesti.

(b) **Consecrari.** Priorem hujus textus partem exposui supra, in *cap. 1.*

COMMENTARIUM.

In secunda parte hujus textus docet Innocentius, oleum prophanum non consecratum posse misceri cum consecrato, ad sacramentum Extremæ unctionis administrandum: quod & de aqua benedicta docuit noster Innocentius *lib. 4.*

de sacro altaris mysterio, cap. 32. ubi ait: *Aqua pura per aqua benedicta contactum efficitur benedicta.* Illustrant Trullench. *de sacram. lib. 5. cap. unic. dub. 2. num. 3.* Decastillo eod. tract. tom. 1. tract. 7. disputat. 1. dub. 7. num. 74. Diana p. 11. tract. 3. resol. 15. P. Henao tom. 2. de sacrif. Missæ, disp. 27. sect. 10. Barbosa de jur. eccles. lib. 3. c. 3. n. 43. Homobonus in examine, tract. 4. quest. 97. Grethferus lib. 2. de benedict. cap. 20. Theophilus tom. 16. in Heterocl. spirit. p. 5. in fine: non tamen inde inferas, vinum non consecratum admixtum cum consecrato transire in sanguinem Domini; ut aliqui arguebant, referente ipso Innocentio in capite cum Marthe; §. *quævisisti, de celebratione Missarum,* illis verbis: *Quidam autem voluerunt adstruere, quod sicut aqua pura per aqua benedicta contactum*

contactum efficitur benedicta; sic vinum per sacramenti contractum efficitur consecratum, & transit in sanguinem. Nam ratio differentie ex eo provenit, quod vis convertendi vinum in sanguinem Christi non est concessa mixtioni, sed verbis consecrationis, quæ non operantur nisi quando proferuntur physicè, & circa materiam tunc præsentem: nec est simile in aqua benedicta, aut oleo consecrato, seu benedicto; quia illa benedictio nullam immutationem facit circa substantiam aquæ, sicut facit consecratio circa vinum, ut docuit D. Thomas 2. p. quæst. 77. artic. 8. cujus sensus est, benedictionem aquæ, vel olei per preces, & orationes Ecclesiæ non immutare physicè oleum, seu aquam; sed solum moraliter in ordine ad peculiarem usum sacros, remanente substantia aquæ, vel olei; ideoque ex Ecclesiæ dispositione posse materiam illam extendi ad aliam aquam puram, vel oleum non consecratum commixtum consecrato. Quatenus tamen, & qua in parte remaneat sanguis Christi, exponunt Theologi, Gamacheus Doctor Sorbonicus quæst. 77. Gregorius de Valentia disput. 6. quæst. 5. punct. 3. Cardin. Lugo de Eucharist. disput. 10. sect. 3. num. 41. Barnal. de sacram. disput. 36. sect. 6. num. 53. Vazquez 3. p. in 3. p. disput. 395. cap. 6. Suarez de sacram. disput. 54. sect. 2. Henao de Eucharist. disput. 6. sect. 5. Dubium autem est, utrum si oleo consecrato admisceatur major quantitas olei non consecrati, adhuc remaneat totum consecratum? Et affirmativam sententiam, videlicet manere consecratum, docuit Magister Hinojosa in direct. decis. regul. fol. 49. quæ sententia in recta Philoſophia fundari potest; siquidem quando duo liquores, qui admi-

ſcentur, sunt ejusdem ſpeciei, habentque qualitates valde ſimiles ejusdem virtutis, & vigoris, ut duo vina alba, vel duo olea, ex admixtione nulla fit corruptio, nec reſultat aliquid tertium, ſed eſt unio, & continuatio illarum partium: & quamvis major quantitas ſuperaddatur minori, cum non habeant contrarietatem qualitatum, non miſcentur per mutuam actionem & paſſionem, nec major quantitas deſtruit minorem; ſed per diſiſionem partium quantitatarum, ſubintrans alter liquor illorum dividit per commotionem partes alterius; unde oleo non consecrato ſuperaddito etiam in majori quantitate oleo consecrato, totum remanebit consecratum. Sed contrarium proſus tenendum eſt, videlicet, quod ſi oleum id, quod additur, ſuperet, vel etiam æquale ſit, & conſeſtim addatur, non remanet totum consecratum; ſi autem ſenſim fiat additio, ſemper cenſetur eſſe idem, quod immediate ante fuit, ut docuerunt Joannes à Cruz in direct. conſcientia de Extrema unct. dub. 6. conclus. 1. Petrus de Ledema in ſumma, tract. de Extrema unct. Trullench. de ſacram. libro 5. cap. unct. dub. 2. num. 3. Dianap. 11. tract. 3. reſol. 15. Apud Gentiles verò non ſolum accedente commixtione totum vinum ſacrum fiebat, verum etſi quid ſacrificandi cauſa de dolio demeretur, totum dolium ſacrum fiebat. Arnobius adverſus Gentes lib. 7. Maſtus hoc vino inferis eſto, Inferis, inquit Trebatius, verbum ex cauſa eſt additum, eaq. ratione proferitur, ne vivum omne omnino, quod in cellis, atq. apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur, promptum eſt, eſſe ſacrum incipias, & ex uſibus eripiatur humanis. Obſervat Meril. lib. 2. obſerv. c. 5.

CAPUT IV.

Idem (a) Compoſtellano Archiepiſcopo.

Propoſuiſti nobis in noſtra præſentia conſtitutus, quod venientibus ad Eccleſiam B. Jacobi ex diverſis (b) regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab alteris per contentiones, & rixas altaris de nocte cuſtodiam vindicare, homicidia contingunt interdum, & aliquando vulnera inferuntur: propter quod humiliter poſtulavi, ut alio modo, quam per (c) reconſecrationis beneficium dignaremur ipſi Eccleſiæ providere. Manente igitur Eccleſia, & altari, f. t. inſinuatione præſentium innoſceſcat, quòd ipſa reconſecrari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam.

NOTÆ.

(a) **Compoſtellano.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, ſub tit. de dedicat. Eccleſ. cap. 3. id eſt, Petro Archiepiſcopo, de quo egi in cap. ex parte, de cenſibus.

(b) **Regionibus.**] Ita legendum eſt, non regionibus, ut legitur in hac ſexta compilatione; nam ibi confluunt peregrini, non ſolum ex Hiſpania, verum ex Gallia, Italia, & aliis nationibus, & plerumque pervigilant in eadem Eccleſia: unde rixæ, & contentiones plerumque oriuntur. Et quia aliquando injiciebantur manus violentæ in clericos, conceſſit noſter Innocent. III. eidem Petro, ut poſſit eos abſolvere ab excommunicatione ex tali violenta manuum injectione incurſa, in epiſtolis editis apud Sireletum, fol. 270. [Ad noſtram noveris audientiam perve-

niſſe, quòd in diceceſi tua manus injicientes in clericos violentas, cum à Sede Apoſtolica nimium ſint remoti, propter ætatem, & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent abſolutionis beneficium petunt. Ut autem excommunicatos hujusmodi ad nos non valentes propter impedimenta, quæ præmiſimus, proſciſci, & mulieres clericos verberantes abſolvere tibi liceat in diceceſi tua, fraternitati tuæ auctoritate præſentium indulgemus: niſi forte ipſorum exceſſus ita gravis fuerit, & enormis, quòd propter hoc cenſura ſit Sedis Apoſtolice requirenda. Nulli ergo, &c.]

(c) **Reconſecrationis.**] Conſecratum enim fuit templum hoc die 5. Maji anno Domini 868. à ſeptemdecim Epiſcopis, & interfuit Ildeſonſis Magnus Caſtellæ Rex unâ cum conjuge ſe-

na, ut constat ex scriptura ipsius consecrationis. Commentarium hujus textus dabimus infra in quam edidit Castell. Ferrer. in hist. S. Jacobi, fol. 460. cap. consuluit.

CAPUT V.

(a) Idem.

Cum sis. Et infra: Noveris igitur, quod plura in Ecclesia una altaria, & plures
(b) Episcopos simul poteris consecrare.

NOTÆ.

1. (a) [Dem.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub tit. de auctorit. & usu pallii: & in cap. cum sis, eod. tit. in hac sexta compilatione, ubi extat prior pars hujus textus; nullibi tamen exprimitur Prælatus, cui rescribat Innocentius, nec inter ejus epistolas editas à Sirleto, & Boschetto reperitur hic textus.

(b) Episcopos. De quorum consecratione egi in c. si Archiepiscopus, de tempor. ordin.

*Quos hic ad Sancti iustum Felicis honorem
Duxerit orandi studium non cura bibendi:
Nam quasi consignata sacris canaculis relictis
Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora
sedem.*

Latius probat Saufay in Panopl. sacerdot. p. 2. lib. 1. cap. 8. §. 4. Impius Molinæus ut assertum suum fulciat, adducit Sancti Ignatii ad Philadelphenses dictum, ibi: *Universa Ecclesia unum habet altare.* Sed totum integrum locum placet repone, quo vera sancti Ignatii sententia cognoscatur, & fraus Molinæi palam appareat. Sic igitur ait Sanctus loco citato: *Scribo ad vos, monocoque, ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Eucharistiâ utamini: una est enim caro Domini nostri Jesu Christi, unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, unus uem panis omnibus confractus; & unus calix, qui omnibus distributus est; unum altare omnis Ecclesiæ, & unus est Episcopus cum presbyterorum collegio, & diaconis confervis meis. Quandoquidem est unus ingenitus Deus, & Pater; & unus unigenitus Filius Deus Verbum, & homo; unus Paraclitus Spiritus veritatis, & una prædicatione, & fides una, & unum baptisma, & una Ecclesia.* Unde cognoscitur, sanctum Ignatium agere de Ecclesiâ non ut materiale ædificium est, sed ut Christi corpusest mysticum: unde ait, unum Ecclesiæ calicem esse; quis enim dicet, in qualibet Ecclesiâ non dari plures calices? ergo fallitur apertè Molinæus dum altare spirituale accipit pro altari materiali; unum enim altare in Ecclesiâ est, id est una fides; unde apud hæreticos plurima altaria dari docuit D. Hieronymus dum exponit caput 3. Osee in illis verbis: *Visitabo super altaria Bethel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram,* ait: *Non unum altare, quod habet Ecclesiâ, sed altaria hæreticorum plurima. Habent enim tot altaria, quot schismata.* Prosequitur Saufay diel. §. 4. juxta quem antiquum Ecclesiæ morem construendi plura altaria simul in una Ecclesiâ Innocentius in præfati decreto, plura altaria simul in una Ecclesiâ consecrari posse, sicut & una die plures valent ordinari Episcopi, & presbyteri.

COMMENTARIUM.

2. (a) Carolus Molinæus rigidorum Calvinistarum præcipuus signifer libro 16. controver. cap. 17. pag. 1026. post medium, postquam plura nefaria contra altaria, & eorum usum expresserat, suo ex genio describens primitivæ Ecclesiæ circa celebrationem sanctæ Eucharistiæ ritus, ait: *Unum quondam in qualibet Ecclesiâ erat altare tantum, non autem incongrua altariolorum multitudo exstructorum in templorum angulis, quemadmodum hodie in Romana Ecclesiâ licet conspiciere.* Sed fallitur Carolus Molinæus, cum jam primis Ecclesiæ sæculis legamus in una Ecclesiâ plura altaria erecta fuisse. D. enim Gregorius lib. 5. epist. 43. ad Palladium Episcopum Sanctonensem, refert in una Ecclesiâ tredecim fuisse altaria, illis verbis: *Veniens later præsentium Leuparicus presbyter vester insinuavit nobis fraternitatem vestram Ecclesiâ in honorem B. Petri, & Pauli Apostolorum, nec non Laurentii, & Pancratii martyrum construxisse, atq; illis tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor nec-dum consecrata comperimus remansisse, ob hoc quod superscriptorum Sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis: & quia reliquias Sanctorum Petri, & Pauli, nec non Laurentii, atq; Pancratii Martyrum cum veneratione prebimus, hortamur, ut eas cum reverentia suscipere, & collocare auxiliante Domino debeatis.* Quod testimonium contra Novatores expendebat Baronius anno 596. Idem probatur ex S. Paulino natali 9. circa medium, dum S. Felicis templum, & reliquias Sanctorum ita describit:

CAPUT VI.

(a) Idem Archiepiscopo & Capitulo Bisuntin.

Lignis ædificiis Ecclesiæ vestræ casu quodam igne consumptis, partibus tamen illâs, ac mensâ (b) principalis altaris in sua extremitate modicam passâ fracturam, quævisit per Sedem Apostolicam edoceri, si propter hoc ipsius altaris, vel etiam totius

rotius Ecclesiæ deberet consecratio innovari. Ad quod sic duximus respondendum, quod cum parietes in sua integritate permanserint, & altaris tabula mota, vel (c) enormiter læta non fuerit ob casum prædictum, nec Ecclesiæ, nec altare debet denuo consecrari. Datum Later. Non. Octob. Pont. N. (d) anno xv.

NOTÆ.

1. (a) *Idem.*] In hac sexta Compilatione tantum legitur *Idem*: in quarta verò, sub hoc titulo, cap. 1. legitur *Idem Archiepiscopo Bisantino, Pont. anno XV.* id est Pontificatus Innocentii anno 15. Sed ita restituo inscriptionem & litteram ex epistolis Innoc. III. editis à Bosqueto lib. 3. *regestr.* 15. *epist.* 164. Bisuntina Imperialis Bur-

gundiæ urbs est, ut referunt Krantzius lib. 13. *Saxonia, cap. 15.* De ea, & ipsius Ecclesiæ Cathedrali nonnulla notavi in capite 14. de accusat.

(b) *Principalis altaris.*] Quod nos dicimus summum, seu majus.

(c) *Enormiter læsa.*] Juxta supra tradita in cap. 1.

(d) *Anno XV.*] Qui fuit Christi annus 1222.

CAPUT VII.

Idem (a) *Slevvicensi Episcopo.*

Cæmeteria verò, in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum (b) violentiam propinquorum, reconcilianda erunt asperione aquæ solenniter benedictæ, sicut in Ecclesiarum dedicationibus consuevit.

NOTÆ.

1. (a) *Slevvicensi.*] In hac sexta collectione legitur *Senonensi*, in quarta verò, sub tit. de celebrat. divini officii, legitur *Sevicensi*; sed restituo inscriptionem, & litteram textus ex ipsa Innocentii III. epistola, quam integram dedi in c. *postulasti, de foro compet.*

(b) *Violentiam.*] An hoc in casu incurratur excommunicatio minor, communicando cum excommunicatis per vim, latè exposui in cap. *sacris, de his qua vi.*

mus *homil.* 21. ad *populum*; & optimè denomine cæmeterii oratione speciali D. Hieronymus *epist.* 29. ad *Theod.* quamquam nec repudianda est ea ratio, quam tradit Apollinaris in catena Græca, ad illud *Job cap. 3.* *Nunc sopitus tacet, asserens mortem somnum dici, & à spe resurrectionis, & ex eo, quod mors sit somni soror, & somni gelida mortis imago, ut illustrant fuscè Theophilus lib. 7. de virtut. num. 117. Zerdà in advers. cap. 180. num. 2. unde meritò locus ille, in quo mortui sepeliuntur, cæmeterium dicitur, ut probant, & illustrant Baronius anno 130. num. 1. & 2. & anno 175. num. 3. & anno 192. num. 3. & anno 226. num. 7. & anno 260. & 261. & in *Martyrol. die 3. Januarii.* Azevedo in *leg. final. tit. 1. lib. 1. recop. col. 3.* Frances de *Eccles. subed. c. 26. de cæmet.* Murga *tom. 1. disquis. mor. disquis. 1.* Beyerlinck in *Theatro, verbo Cæmeterium.* Theophilus *tom. 15. ad finem, fol. 550. & de martyrio p. 4. c. 6. num. 7.* Spondanus de *cæmet. lib. 1. p. 3. cap. 13. num. 1.* Antonius Bozius in *Roma subter. lib. 1. de cæmet. cap. 1.* Zerdà *advers. dict. cap. 180.* Coriolanus in *breviario, anno 226.* Severinus Binus ad *epist. Calixti II. Cochier in fuscè histor. cap. 87.* & alii quos laudavi in cap. 35. *Concil. Illiber.* Interdum etiam cæmeteria dicuntur areæ.*

COMMENTARIUM.

2. **C**æmeterium vox Græca est, absurdè tamen Lucas Tudenis lib. 1. contra Waldens. c. 22. Cæmeterium dictum ait eo quod sit Christiani corporis cineribus consecratum; quasi nihil aliud sit cæmeterium, quam ciniterium, in quo cineres defunctorum terantur: quem meritò refellit Antonius Nebrissen. in *quinquag. cap. 12.* Nec magis appositè Durandus in *ration. cap. 5.* cæmeterii nomen deduxit à *cimeri*; id est dulci; ac *sterion*, id est statio, eo quod ibi dulciter stent corpora, vel quia ibi sunt cimices, id est vermes fetentes ultra modum. Ridiculè ista dicuntur, cum constet cæmeterium à Græco verbo *κοιμω*, quod dormire significat, esse derivatum, ut bene vidit Belletus de *officiis cap. 159.* unde apud Athenæum lib. 4. cap. 5. domus, in qua hospites dormire soliti, dicta est à Cretensibus cæmeterium. Facit Plinius lib. 2. *epist.* 17. & illustrat Bulengerus lib. 5. *opuscul. cap. 42.* Cæmeterii vox bellè quadrat loco, in quo jacent Christiani, qui ob spem gloriosæ resurrectionis, non tam mortui jacere, quàm dormire dicuntur, *Joannis cap. 11.* ubi Christus Dominus Lazarum dormire dixit: & D. Paulus 1. ad *Corinthios cap. 15.* ait: *Christus surrexit à mortuis primitus dormientium.* Et 2. ad *Thessalon. c. 4.* ubi Sanctus Hieronymus id observavit: itemque *epist.* 29. & pulchrè S. Augustin. *epist.* 122. ac S. Chrylосто-

Terul. ad *Scapulam cap. 3.* Polyandr. D. Hieronymus in *cap. 1. Hieremia, & in cap. 10. Matthai.* Tumbæ, catatumbæ, cryptæ arenariæ, accepta ab Hebræis consuetudine, quos in cryptis mortuos sepelisse, loculis in eis excavatis, docet exemplum Abraham, quod refertur in *cap. 23. Genes;* & sepulchri Christi Domini, quod fuisse scissum in saxo, sive petra, tradunt D. Mattheus *cap. 27.* & Lucas *cap. 23.* quem morem sequuntur Christiani cæmeteria tum Romæ, tum alibi in cryptis arenariis construebant; non verò in terram deorsum corpora reponebant, sed excavatis desuper loculis in lateribus cryptarum formicæ sustinentibus, ut fidem faciunt quæ Romæ refossa sunt, & exaravit Antonius Bosius d. lib. 1. *Rom. subter.* & ex D. Hieronymo probavi in *ditto can. 35. Concilii Illiber.* ubi notavi, in cæmeteriis

riis convenisse olim fideles ad sacros conventus, ad orandum, & sacrificium Missæ celebrandum: & quantâ frequentiâ fideles illuc accederent, describit Prudentius *hymno 4. de sancto Hippolyto*.

*Mane salutarum concurrunt, omnis adoratur
Pubes: eunt redeunt solis ad usq; obitum.*

Conglobat in cuneum Latios simul, ac peregrinos

Permixtum populos religionis amor.

Et latè probat Spondanus *lib. 1. de cæmeter. sacr. p. 3. cap. 13.* ubi docet in cæmeteriis mysteria Sacramentorum, & sacras functiones in ipsis frequenter obiri.

3. Ut autem hæc omnia ritè peragerentur, cæmeteria, sicut Ecclesiæ, dedicantur, consecranturque. Glossa in *cap. in Ecclesiis, verbo si iterum 13. quest. 2.* Innocentius & Abbas in *cap. abolende, de sepultur.* Conrad. Brunus *lib. 4. de cærem. cap. 2.* unde obtinuit, ut iisdem fermè, quibus Ecclesiæ, privilegiis, & immunitatibus decorantur, *cap. si quis contumax 17. quest. 4. cap. Ecclesia, de immunit. Eccl.* & hanc consecrationem cæmeteriorum perantiquam esse constat ex Gregorio Turon. *de gloria Confess. cap. 106.* ubi agens de obitu B. Radegundis Francorum Regina, quæ in monasterio Pictaviensi à se constructo decesserat, ait se cum ejus transitum audisset, eò accessisse absente Episcopo Pictaviensi; & cum Abbatissam hortaretur, ut corpus sepultura traderet, respondisse Abbatissam: Et quid faciemus si Episcopus urbis non advenerit? Quia locus illè, in quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacras, ipsumque Gregorium rogatum à civibus eum consecrasse, probat Spondanus *dict. lib. 1. cap. 15.* Unde eisdem modis polluitur cæmeterium, ac Ecclesiæ. Immo violatâ Ecclesiâ violatum creditur cæmeterium, tanquam locus accessorius: non verò violatè cæmeterio, violatâ creditur Ecclesiæ, ut probat Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4.* Barbosa *de potest. Episc. 2. p. alleg. 28. & de jure Eccles. lib. 2. cap. 4. num. 19. & cap. 9.* Facit disertus textus in *cap. unic. hoc. tit. in 6.* & sicut excommunicati in Ecclesiis sepelire non possunt, ut probavi in *cap. sacris de sepult.* ita nec in cæmeteriis. Innocentius III. *lib. 2. regestr. 14. epist. 74.* ubi notavit Idumay.

COMMENTARIUM.

4. **E**X his tribus decretalibus sequens deducitur assertio: Si Ecclesiæ diruatur, & reedificetur, iterum est consecrandâ; si verò tantum violetur, reconciliari debet per aquam cum vino, & cinere benedictam, & interius non licet in ea Missam celebrare. Probant eam textus in *cap. Ecclesiis 3. 68. dist. cap. si motum 19. cap. sicut 11. de consecr. dist. 1. cap. quia scelerata 24. de consecr. dist. 2. cap. ex tuarum, de privil. cap. final. hoc. tit. cap. unic. hoc. tit. in 6. cap. significasti, de adulteris, cap. cum illorum 32. de sent. excom. cap. is qui 18. eod. tit. in 6. Clemens III. relatus post Concil. Lateran. p. 50. cap. 67. ibi: Ecclesias, quæ sanguinis, vel seminis sunt effusione polluta, convocatis clericis convocatis, cum processione, & aqua benedicta asperione, prout in Ordinario habetur adscriptum, poteris emundare (loquebatur cum Sanguino Episcopo.) Concil. Colonienfe 2. p. 9. cap. 17. cujus verba refert Crespetius in summa, D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.*

verbo Ecclesiæ, fol. 292. Illustrant autem congestos à Garanna & Barbosa hic, idem Barbosa *de potest. Episc. alleg. 28. num. 31. & libro 2. de jure Eccles. cap. 4. P. Henao tom. 2. de sacrific. Missæ, disputat. 23. sect. 3.* Suarez *de sacram. disputat. 81. quest. 83. sect. 4. & tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 2.* Delbene *tom. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. sect. 2. Diana part. 11. tract. 2. resol. 58. & tract. 3. resol. 21. & 23.* Peckius *de Eccles. repar. cap. 36.* Passerinus *intero tractatu de pollut. Eccles. Murga tom. 1. disputat. tract. 2. disputat. 1.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam quemadmodum res semel Deo dicata amplius ab humanos usus converti nequit, *cap. qua semel 19. quest. 3. regul. semel 51. de R. 1. lib. 6. cap. ad hoc 4. de relig. domib. cap. Apostolicos 13. 12. quest. 2.* & ideo ligna Ecclesiæ non sunt in prophana ædificia convertenda, *cap. ligna 38. de consecr. dist. 1. & ornamenta vetulitate consumpta debent ad cinerem redigi, & in parietibus includi, cap. altaris, de consecr. dist. 1.* ita etiam Ecclesiæ constructa in alieno solo, *cap. quest. 41. 17. quest. 4.* Glossa verbo *Construxisse, in dict. cap. Apostolicos*, contra vulgare principium textus in *§. cum in suo, Insti. de ver. divis.* Ergo nullo casu potest Ecclesiæ semel consecrata prophana fieri, ita ut novâ indigeat consecratione. Augetur hæc difficultas ex *l. ados 73. ff. de contrahend. emption. §. sanè, Insti. de ver. divis.* ubi docetur, quod ædes sacra, etiamsi diruta sint, manent sacra: igitur Ecclesiæ etiam diruta manent sacra, nec iterum consecranda est. Etiam secunda pars præsentis assertionis, ubi docetur Ecclesiæ violatam esse reconciliandam per aquam cum cinere, & vino benedictam, impugnatur ex eo; nam *cap. si motum 19. de consecr. dist. 1.* docetur, Ecclesiæ violatam diligentissimè esse expurgandam, & de novo consecrandam; & in *cap. Ecclesiis 20. ead. dist.* statuitur, simili modo consecrandam esse Ecclesiæ pollutam sanguinis aut seminis effusione, ac si exusta sit. Igitur quia Ecclesiæ non solum eo casu, quo penitus est destructa, reconsecrari debet, verum etiam tantum violata, seu polluta fuerit.

6. Quibus difficultatibus minimè obstantibus vera est præsentis assertio, pro cujus expositione sciendum est, pollutionem Ecclesiæ, esse mortalem maculam, quæ locus sacer exiit publicis actionibus, ibi: *Ecclesiastico jure peculiariter vetitis; & quodam modo afficitur, ut ibidem jure ipso divinorum officiorum celebratio, & fidelium sepultura ante reconciliationem interdicanter; nullâ tamen in transgressores poenâ eodem jure lata: & licet in hoc titulo promiscuè DD. utantur pollutione, & violatione; tamen differunt pollutio à violatione, ut species à genere; violatio enim Ecclesiæ latius patet quàm pollutio: & licet omnis pollutio sit violatio; tamen non omnis violatio Ecclesiæ est pollutio; siquidem Ecclesiæ violatur per furtum, seu sacrilegium, cum ejus violenti effractione, ut probat Passerinus *p. 1. de pollut. Eccles. c. 3.* sed ut id facilius cognoscamus, modos quibus polluitur Ecclesiæ, breviter referamus. Et primò polluitur sanguinis effusione in ea factâ, *cap. Ecclesiis 20. de consecr. dist. 1. c. final. hoc. tit. c. unic. eod. tit. lib. 6. cap. Ecclesiis 3. 68. dist. cap. ex tuarum, de privil. cap. cum illorum 32. de sent. excom. Concil. Colon. celebratum**

Cccc anno

anno 1536. cap. 9. p. 17. l. 20. tit. 10. partit. 1. in quibus iuribus nihil aliud statuitur, quam sanguinis effusione Ecclesiam violari: sed id accipiendum est de injuriosa, & voluntaria effusione, ut docent Suarez *dict. sect. 4. §. 2.* Passerinus *de pollut. Eccles. part. 6. per tot.* P. Henao *dicta disp. 33. sect. 5. num. 48.* Murga *tom. 1. disquisit. tract. 2. disquis. 2. per tot.* Unde effusio sanguinis per jocum accidens, etiam in magna quantitate non violat Ecclesiam; quia talis effusio vacat omni injuriâ. Suarez *suprà*, Diana *part. 11. tract. 2. resol. 58.* Illud autem quæri solet, an Ecclesia polluatur, si vulnus in Ecclesia inferatur, sanguis verò effluat extra Ecclesiam, vel si intra Ecclesiam, in vas aliquod, ita ut pavimento, aut Ecclesie parietes non contingat? Quo casu dicendum est, per vulnus in Ecclesia illatum eam violari, *cap. proposuisti, hoc tit.* quia nihil interest, utrum sanguis in ipsa Ecclesia effluat, an extra perfundatur; quia utroque casu æqualiter Ecclesie injuria inferitur vulnere illato, ex quo immediate sanguis perfundatur. Idemque dicendum est, si causa vulneris ab Ecclesia oriatur, extra illam tamen effectum habeat, veluti si lapis, aut lancea ab Ecclesia emitatur, sed ictus fiat extra Ecclesiam, vel è contrario. Suarez *ubi supra*. His consequens est, Ecclesiam violari homicidio injurioso intra ambitum Ecclesie commisso, *cap. si motum, de consecr. dist. 1. cap. proposuisti 4. hoc tit.* Nec interest, homicidium perpetratur per suffocationem, contusionem, aut sanguinis effusionem, cum prædicti textus discrimen hoc non constituent, & utroque casu magnus horror sequatur ex homicidio loco in sacro admisso. Suarez *dicta disp. 81. sect. 4.* Passerinus *suprà, p. 5. cap. 7.* Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 33. sect. 5.* Non tamen sequitur Ecclesie violatio ex homicidio casu admisso; quia voluntarium non est, & culpâ caret, *cap. qualis 25. cap. final. de homicid.* veluti si ædificium corruat, aut quid simile in Ecclesia contingat, unde hominum cedes sequatur. Suarez *dict. sect. 4. in principio*, Passerinus *dict. part. 5. cap. 8.* Idem procedit in homicidio justo, quod propter necessariam vitæ defensionem perpetratum fuit, quia injuriosum non est, *l. ne vim, ff. de justitia & jure, cap. 3. de homicid.* Passerinus *dict. p. 5. cap. 29.* Non tamen idem dicendum est in homicidio justo judicis factò, veluti si sententiâ judicis intra Ecclesiam aliquis occidatur: nam quamvis justa sit sententia quoad poenam; est tamen injuriosa exequutio propter loci reverentiam. Similiter non violatur Ecclesia si homicidium fiat in locis subterraneis separatis à corpore Ecclesie, aut in cubiculis constructis supra tectum Ecclesie; quia hæc omnia sunt extra Ecclesiam. Docet Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 26.* Etiam deducit Suarez *ubi supra, sect. 4.* quod si vulnus intra Ecclesiam inferatur absque ulla sanguinis effusione, mors autem extra Ecclesiam sequatur, violationem non induci: quem sequuntur Passerinus *dict. part. 5. cap. 2. §. 5. per rotum.* Diana *p. 6. tract. 6. resol. 26.* Dicastillo *tract. 5. disputat. 4. dub. 7. num. 114.* Henao *ubi supra*. Vel si vulnus extra Ecclesiam inferatur, & eo percussus intra Ecclesiam moriatur, Passerinus *dict. p. 5. quest. 5.* Inde etiam deducitur, homicidio à seipso cuique illato, violari Ecclesiam; quia injuriosum est si fiat ab homine sanæ mentis,

cap. contingit, de sent. excom. A furioso, vel ebriò factum, quia injuriosum non est, non violat Ecclesiam.

Deinde polluitur Ecclesia humani seminis effusione in ea facta, *cap. si motum, cap. Ecclesie, de consecr. dist. 1. cap. final. boetius, cap. vis. eodem titul. in 6. cap. significasti 5. de adul. l. 20. polluitur titul. 10. part. 1.* Henao *ubi supra, num. 54.* Passerinus *de pollut. Eccles. p. 7.* Murga *tom. 1. disquisitionum, tract. 2. disquis. 3. per totam*: quod procedit quando intra Ecclesiam facta fuit humani seminis effusio peccaminosa à quocunque, vel fideli, vel infideli, etiam si contra naturam peccaverit: sed si talis effusio non sit voluntaria, non est injuriosa Ecclesie, licet aliquando à peccato non sit immunis, juxta ea, quæ notantur in *capite final. 6. dist.* ideoque per eam non polluitur Ecclesia. Suarez *dict. sect. 4. §. 3.* per pollutionem autem voluntariam occultam licet committatur sacrilegium, tamen Ecclesiam non polluit, aliis relatis probat Mendo *in statera, dissert. 5. quest. 6.* quod agnoverunt Ethnici ipsi animadvertentes in polluentes templa usu veneris. Plato *lib. 12. de legibus*, capite laudando noxam hanc deeerit. Plura Tiraque *lib. 1. 5. connub. num. 107.* Deinde desideratur, ut fiat intra ipsam Ecclesiam, nec sufficit intervenire in locis subterraneis separatis à corpore Ecclesie, vel in turri ipsius. Sotus in *4. dist. 32. quest. unic. art. 3.* Corduba in *summa, quest. 12.* Circa copulam tamen conjugalem utrum per eam violetur Ecclesia, dubitant Interpretes, & disputant *suprà* laudati, Sanchez *de matrim. lib. 9. disputat. 15. per tot.* Gregorius Lopez in *dist. l. 20. partit. Corduba in summa, quest. 12.* Circa copulam tamen conjugalem utrum per eam violetur Ecclesia, dubitant Interpretes, & disputant *suprà* laudati, Sanchez *de matrim. lib. 9. disputat. 15. per tot.* Gregorius Lopez in *dist. l. 20. partit. Hostiensis in cap. final. num. 3. hoc tit.* Et negativam sententiam, videlicet non violari, docuerunt Glossa in *dist. cap. Ecclesie*, verbo *Seminis*, Gaspar Hurtado *lib. 4. de sacrif. Missæ, disputat. 7.* P. Franc. Amicus *eod. tract. disputat. 33. sect. 12. num. 337.* Basilius *de matrim. libro 1. cap. 10.* Arriaga, & alii, quos laudat, & sequitur Diana *p. 11. tract. 8. resol. 34.* pro quibus faciunt textus in *dist. cap. si motum, dist. cap. significasti*, ubi docetur, adulterio pollui Ecclesiam, indeque deduci videtur, illicitum tantum concubitus præstare causam violationi: quod ita agnovisse videtur Rex Alfonso in *dist. l. 20.* Sed frequentius recepta est contraria sententia, videlicet omnem copulam, etiam conjugalem, polluere Ecclesiam, ut docuit Glossa *verbo Seminis*, in *cap. unic. hoc tit. in 6.* quam ibi sequuntur Dominicus, & Francus, Turriserem. in *dist. cap. Eccl. num. 3.* & alii plures, quos referunt, & sequuntur Sanchez *de matrim. d. disp. 9.* Henao *ubi supra, num. 63.* Passerinus *dict. p. 7. de pollut. Eccles. cap. final.* nam cum generaliter caveatur in *dist. cap. Ecclesie, cap. final. hoc tit.* quacunque effusione seminis Ecclesiam violari, satis innuitur, per quemcunque concubitus, non solum illicitum, & adulterinum, de quo jam cautum fuerat in *dist. cap. si motum, cap. significasti*, verum & conjugalem, Ecclesiam pollui, propter loci reverentiam, etsi actus licitus sit, ut de homicidio auctoritate judicis in Ecclesia factò superiori numero dicebam. Evenire tamen potest, ut hæc copula conjugalis non violet Ecclesiam, veluti si habeatur à conjugibus, qui alibi habitationem, & mutuum congressum habere nequeunt, & vitare incontinentiam non valent, veluti si alii in Eccle-

Ecclesia obfessi sint conjuges, ita ut non sit aditus ad loca prophana, & non possint se continere absque peccati periculo; nec attenditur utrum occulta sit cohabitatio, vel publica; quia in hac specie conjugibus prædicta copula prohibito relaxatur, quia ut docet Sanchez *dist. disput. 15. num. 12.* concurrunt duo præcepta inter se contraria, quorum unum fundatur in honestate, & externa reverentia loci sacri, nec aliam habet adjunctam intrinsecam malitiam; aliud autem tendit ad tollendam causam peccati, & periculum incontinentiæ, quæ intrinsecè mala est; unde ob præceptum posterius, quo majus malum vitatur, fortius est, & prius superatur, argumento textus in *c. nervi, c. duo mala, 13. dist.* Extra hunc ergo casum illicita est copula conjugalisis in Ecclesia, sive publica sit, sive occulta. Ex publica violatio Ecclesiæ inducitur: ex occulta peccatum sacrilegii committitur ob loci reverentiam. Cui doctrinæ consequens est, non licere sine peccato debitum conjugibus petere, vel reddere intra Ecclesiam, & utrunque aequaliter peccare, & notant Sanchez *dist. disputat. 5. num. 8.* Basilus *lib. 10. cap. 10.* & illustri miraculo in conjuges usos conjugio, in Ecclesiæ adhærente cella firmat S. Odo *lib. 2. collat. c. 17.* Nec obstat, quod qui votum emittit castitatis, absque peccato sacrilegii debitum petere nequit; & tamen illud impunè reddit, immò tenetur, ut docet idem Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 6.* quia magnum discrimen versatur inter hos casus; nam cum prohibetur copula conjugalisis in Ecclesia propter loci reverentiam, in ipsam actionem, ac veluti in rem ipsam dirigitur prohibitio: quare aequè peccat tam petens, quam reddens. At verò cum propter voti obligationem copula prohibetur, prohibitio ipsa est personalis, & ideo qui votum emisit, petere debitum nequit, quia juri suo renunciare potuit, sed in alterius præjudicium id efficere non valet, nec debuit; & ideo absque metu sacrilegii conjugi petenti debitum illud reddere valet. An verò occulta effusio sanguinis, aut seminis polluat Ecclesiam, vel desideretur notoria, dubium est? Notoriam desiderari docent Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 81. sect. 4.* Vazquez *1. 2. disput. 98. num. 6.* Contrà, occultam sufficere tenuerunt Lessius *lib. 4. de virtut. cap. 3. num. 86.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 11.* Salas *in 1. 2. d. sp. 31. num. 14.* Sed lis est fortasse de vocibus; nam quamvis verum sit, Ecclesiam per se, & ex natura talis facti, violari per effusionem prædictas occultas, non tenemur tamen abstinere à celebratione in tali loco quamdiu ea loci violatio occulta est, nec ita vulgatur, ut possit notoria censeri.

Rursus violatur Ecclesia, si in ea sepelitur fidelis excommunicatus, *c. in consilium, hoc tit.* ex quo ita id docuerunt Suarez *dist. sect. 4. §. 4.* Passerinus *de pollut. ecclesiast. p. 8. per tot.* nam licet in eo textu tantum statuatur, reconciliandum esse cæmeterium, in quo excommunicatus sepultus est, & de Ecclesia nihil dicatur; tamen satis deducitur, idem jus observari circa Ecclesiam; nam cæmeterio non alia ratione reverentia debetur, quam quia est sacrum, ut supra notavi, aut accedit loco sacro, *capite unic. hoc tit. in 6.* Hoc autem ideo statutum est, quia excommunicatus à communione Ecclesiæ segregatus indignus est sepulturâ ecclesiasticâ, ut latè prod. D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. III. Pars II.*

bavi in *cap. sacris, de sepultur.* Unde sicut injusta sepultura infidelis Ecclesiam polluit, ita & sepultura excommunicati. Hoc autem, ut rectè notavit Suarez *ubi supra*, post extravagantem Martini V. *Ad evitanda*, procedit in excommunicato publicè denunciato, aut notorio clerici percussore; nam effectus prohibetæ communionis à jure communi suspenduntur illa constitutione. Etiam violatur Ecclesiâ, si in ea sepeliatur infidelis, aut paganus, *cap. Ecclesiam 27. cum sequenti, de consecr. dist. 1.* docent alii relatis Diana *p. 11. tract. 8. resol. 22.* Henao *dist. tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 4.* Murga *tom. 1. tract. 2. disquisitionum Moral. disquisit. 4. per totam*: nam licet in sepeliendis quibuscunque defunctis pium, & laudabile opus exerceatur, *capite 2. cum aliis 13. quest. 2.* in Ecclesia tamen corpora fidelium defunctorum sunt tumulanda, *capite nullus 18. 13. questione 2.* alia autem infidelium cadavera deturpant, & fœdant Ecclesiam, & ab ea prorsus abicienda sunt; & si fuerint sepulta in loco Ecclesiæ, ante ipsius ædificationem exhumanda sunt, & foris projicienda, radique debent lapides, & tigna, ut ibi Ecclesia ædificetur, *dist. cap. Ecclesiam 28.* Suarez *dist. sect. 4. §. 5.* ubi notat hoc etiam procedere, cum pueri baptizati sepeliantur in Ecclesia: sed si adhuc in uteris maternis cum matre sepeliantur, non violatur Ecclesia. Tandem licet plures relati à Barbosa *dist. lib. 2. juris Eccles. cap. 4. num. 25.* existimaverint, violari Ecclesiam per consecrationem, aut benedictionem factam ab excommunicato non tolerato; contrariam tamen tenuerunt Suarez *dist. disput. 81. sect. 4. vers. Quarto violatur.* Gibalinus *de censur. disquis. 7. quest. 5. propos. 1. consecr. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 4.* & meritò, nam talis violatio non est expressa in jure: ergo nullo modo datur. Et si infidelis, Ecclesiam violari, si excommunicatus non toleratus sepeliatur in ea, ut proximè probavit ergo similiter violabitur Ecclesia per consecrationem, aut benedictionem factam ab Episcopo excommunicato non tolerato. Respondeo argumenta à paritate esse parum efficacia in subiecta materia poenarum ecclesiasticarum. Hinc tu ipse negas violari Ecclesiam per excommunicati vitandi, aut schismatici celebrationem in ea, juxta caput à nobis 2. *de Sacram. non iter. &c.* per sepulturam hominis personaliter, nominatimque interdicti; quamquam argumentum à paritate videatur non minorem vim habere in duobus his casibus, si legeris Dianam *part. 11. tract. 8. resol. 12.* Si autem Ecclesiæ consecrata, vel occupata fuerint ab hæreticis, à Catholicis reconciliari debent. Concil. Aurel. *1. can. 11.* ibi: *De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plenâ fide & voluntate venerint, vel de basilicis, quas in perversione sua Gothi hætenus habuerunt, id censuimus observari, nisi clerici fideliter convertantur, & fidem catholicam integrè confiteantur, vel ita dignam vitam morum, & actuum probitate custodiant, officium, quo eos Episcopus dignos esse censuerit, cum imposita manus benedictione suscipiant, & Ecclesias similes, quo nostra innovari solent, placuit ordine consecrari.*

Ultimò sciendum est, in Ecclesia, vel altari violato non licere divina officia celebrare antequam reconcilietur: est enim ipsi loco ob violationem, cele-

bravi non
potest.

tionem, seu pollutionem imposita quædam suspensio, *cap. final. hoc tit.* & si quis in Ecclesia polluta, vel altari violato celebraverit scienter ante reconciliationem, reus erit gravis peccati, & arbitrio Episcopi puniendus, *cap. is qui 18. de sent. excom. lib. 6.* nullam tamen irregularitatem incurret, quia in iure expressa non est. Suarez *diēt. sect. 4. §. sed quæres.* Hæc enim suspensio, quæ provenit ex violatione loci sacri, non est imposita personis, sed locis violatis, ejusque conditionis est, ut nec sit censura, nec effectum censuræ obtineat, sed infert canonicum impedimentum, ne celebretur in Ecclesia sub pœna gravis peccati, *diēt. capite is qui 18.* nam si speciali censurâ interdicti locus affectus esset, celebrans in eo maneret irregularis, *diēt. cap. is qui 18. §. ult.* Henao *diēt. disput. 23. sect. 3.* Notandum tamen est, solum prohiberi propter violationem Missam, vel divina officia celebrare, non verò verbum Domini prædicare, & similia, argumento textus in *cap. responso, de sent. excom.* notarunt Navarrus in *Manuali, cap. 27. num. 176.* Zerola in *praxi Episcopali, 1. part. verbo Pollutio, quæst. 4.* Illud etiam omittendum non est, quod si pollutio Ecclesiæ contingat dum Missæ sacrificium offertur, adhuc canone non cæpto, presbyter non debet eam profecti, sed potius dimittere; si autem post canonem violatio contigerit, prosequendum est sacrificium, ut resolvunt Suarez *d. sect. 4. §. Secundo quæritur.* Sotus in *4. disp. 13. quæst. 2. art. 3.* Ut ergo divina officia ritè peragantur, Ecclesia polluta reconciliari debet, ita ut si tantum benedicta erat, per simplicem Sacerdotem reconcilietur, *cap. final. hoc tit.* si verò fuerat consecrata, per Episcopum, ut infra dicemus in *cap. aquam:* reconciliatioque fieri debet aquâ cum vino, & cinere admixtâ, & certis precibus, quæ referuntur in Ordine Romano: & debet reconciliari expensis ejus, qui eam violavit.

10.
Traditur
ratio deci-
dendi.

His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit; nam cum non solum desideretur ad officia divina ritè celebranda, ut locus ipse consecratus sit, juxta adducta supra in *cap. 1. verum etiam exigatur, ut post consecrationem ab omni sorde & macula servetur immunis; nam sicut impuri homines repelluntur ab altaris participatione, cap. sicut 11. de consecr. dist. 1. cap. qui sceleratè 24. de consecr. dist. 2. nec licet nisi in sacris, & puris vasibus celebrare, & cum sacris, honestisque vestibus, cap. in sancta, cap. vestimenta, de consecr. dist. 1. ita & circa templa, & altaria idem observandum est, ut sint consecrata, & sanctitatem consecrationis retineant, ex juribus supra pro illustratione conclusionis adductis; nam cum locus sacer certis casibus pollui possit supra enumeratis, ut apud Romanos eveniebat, si res sacra ab hostibus occupabatur, l. cum loca 36. ff. de relig. & sumpt. funer. l. sacra 9. §. 2. ff. de ver. divis. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 8. illustrat Brissonius lib. 1. antiquit. cap. 2. rectè in præsentem docetur, necessariam esse reconciliationem, ut in loco sacro, seu polluto divina officia possint celebrari.*

Nec obstat prima difficultas supra adducta; nam ex ea tantum evincitur, quam indecens sit loca sacra profanari, vel macula conspergi, cum grave peccatum ex simili violatione, & pluribus exemplis probat Pechius in *diēt. regul. Semel:* non tamen inde deducitur, factio Ecclesiam violari posse, & pollui, ut in casibus supra relatis. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex *diēt. l. si heres 73.* quia dicendum est, templum destructum sacrum manere, ita ut distrahi non debeat, nec in usus profanos converti; quia semel Deo dicatum fuit; sed nihilominus consecrationis virtutem amittit, ut in eo divina officia celebrari non possint, nisi denuò consecretur; nam terræ motu non amittitur tota religio templi, sed infligitur quædam suspensio, & violatio, ut supra dixi. Nec obstat textus in *diēt. cap. si minus, cap. Ecclesis,* quibus communiter responderetur, ibi verbum consecrationem, accipi pro reconciliatione; ita ut sensus sit, Ecclesiam homicidio, aut simili casu violatam, esse reconciliandam. Sed quis non statim agnoscat, quam aliena sit hæc interpretatio à proprietate ipsius verbi, consecrationem! Quare verius credo, olim Ecclesiam pollutam reconciliari, & postea iterum consecrari, usque dum propter difficultatem convocandi Episcopos ad consecrationem receptum fuit, ut tantum ab Episcopo proprio Ecclesia polluta reconcilietur; quod facile colligitur ex *cap. proposuisti, hoc tit.* ubi Innocent. III. indulget Petro Archiepiscopo Compostellano, ut possit Ecclesiam ipsam pollutam reconciliare absque eo, quod denuò consecraretur: quam specialem gratiam Innocentius non concederet, si jure communi non esset necessaria nova consecratio, & reconciliatio sufficeret.

Sed supra traditis obstat textus in *cap. 2. de sacrament. non iter.* ubi cum agatur de schismate Waldemari, cujus historiam ibi retuli, consultus fuit Honorius, an corpora schismaticorum sepulta tempore ipsius schismatis, essent exhumanda? Et quia presbyteri degradati ausi fuerant in ipsis Ecclesiis celebrare, an Ecclesiæ essent iterum consecrandæ. Et respondet Honorius, nec corpora esse exhumanda, nec Ecclesias reconciliandas: ergo quia non violatur Ecclesia, etsi in ea excommunicati sepeliantur, ita ut novâ reconciliatione indigeret. Cuius textus expositio ex supra traditis provenit; nam cum Ecclesia polluat tantum in casibus supra relatis, & in illius textus specie nullus ex eis adesset, licet non leviora delicta admiffa essent, siquidem degradati celebrant in ipsa Ecclesia, & schismatici sepultura defunctorum interfuerant, tamen quia ipsi defuncti catholici erant, nec à communionem Ecclesiæ seclusi reperiebantur, ideo propter delicta ipsorum ministrorum non polluitur, aut violatur Ecclesia, nec nova indiget reconciliatione, quia ex his causis Ecclesia non violatur.

CAPUT VIII.

Honorius III. *Reverendissima in Christo filia Illustri Regina (a) Ungariae.*

Cum sicut ex relatione dilectorum filiorum Capituli (b) Oradiensis nobis innotuit, devotionis zelo succensa, eorum feceris Ecclesiam consecrari, profecto speramus, quod zelus ille, qui te ad ejusdem Ecclesiae consecrationem induxit, te quoque ut & dotem ei conferas, debeat animare: & quidem cum non sit Ecclesia, nisi de dote provivum ei fuerit, consecranda, eo liberalius ad dotandam praedictam Ecclesiam aperire manus munificentiae tuae debes, quo facilius potes id facere, & ad hoc fortius, tanquam ex debito, jam teneris.

NOTAE.

(a) *Ungariae.*] Ita restituo inscriptionem, & textum ex quinta compilatione Honorii III. *sub hoc tit. cap. unic.* ubi notavit Cironius, praesentem epistolam missam esse Gertrudi uxori Andreae II. Hungariae Regis, filiae Bertholdi Ducis Moraviae; vel Beatrici uxori secunda dicti Andreae.

(b) *Oradiensis.*] Legendum esse *Waradicensis*, jam notavit Cironius in praesenti. Waradin autem est civitas Episcopalis Hungariae, suffraganea Archiepiscopi Coloceniensis.

COMMENTARIUM.

Ex hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Qui fecit Ecclesiam consecrare, tenetur eam dotare.* Probant eam textus in cap. nemo, de consecr. dist. 11. c. 1. cap. pia mentis 16. quest. 7. Con. il. Brachar. 2. can. 5. relatum in cap. placuit 1. quest. 2. Concil. Aurel. 4. can. 33. ibi: *Si quis in agro suo, aut habet, aut postulat habere decem, primam & terras ei deputet sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia implent, ut sacrae locis reverentia condigna tribuatur.* D. Gregorius lib. 2. epist. 9. ibi: *Timotheus illustris femina petitoria nobis insinuatione suggestit, quod habetur in subditis, intra civitatem Arminensem, in loco juris sui oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem Sanctae Crucis desiderat consecrari: Et ideo frater charissime, si tua civitatis jure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humanum esse, percepta primitus donatione legitima, &c. consecrabis.* Heraldus Episcopus Turon. in suis capitul. cap. 46. *De edificationibus Ecclesiarum, ut nullus antea fundamentum jaciatur, donec Episcopus veniat, & in medio crucem figat, & sic accepta dote, construendi licentiam tribuat.* Concil. Wormat. tempor. Haieriani II. cap. 3. cap. final. de jure patron. in 5. compil. ibi: *Cum igitur sicut nostri est auribus intimatum, quaedam Ecclesia regni tui, quarum omnium es patronus, non habere terram liberam asseratur, Serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentis, quatenus cum indecens modis omnibus videatur, ut Ecclesia memorata competenti dote penitus sint expertes, ipsarum cuilibet saltem triginta passus terre, juxta canonicas sanctiones in liberam elemosinam extra cimiterium a parte qualibet eorundem ad domos clericorum faciendas ibidem liberaliter largiaris.* Synod. Valentina sub D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars II.

Lothario, cap. 9. *Saculares, & fideles laici, si condere voluerint basilicas in praediis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam coloniam vestitam cum tribus mancipiis donationis (alias dotis) gratia eis conferant.* Carolus Magnus in suis Capitul. cap. 229. *Nemo (inquit) Ecclesiam aedificet antequam civitatis Episcopus veniat, & ibidem crucem figat publice, & ante praesentem, qui aedificare vult, quod ad luminaria, & ad custodiam, & stipendia custodum sufficiat: & sic facta donatione, domum aedificet.* Imperator Justinianus in novel. 67. *Ut nullus aedificet, ibi: Qui nominis causa ad opus sanctorum Ecclesiarum accedunt, deinde eas aedificantes, nequaquam curam ponunt, ut expensas eis quoque exponant decentes, & ad luminaria, & ad observantium alimenta, & ad sacra mysteria vel ministeria, sed deserunt eas in nudis aedificiis constitutas.* Concil. Toletanum 3. can. 15. ubi Episcopis interdicitur Ecclesiam consecrare, nisi prius dotis chartam confirmatam habuerint. D. Chrysostomus homil. 18 in Acta Apostolorum, ibi: *Quasi, inquit, ducta uxore, vel sponsa, vel dotata virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis, dotem inscribi illi: ita tibi benedictionis premium multiplicabitur.* Et l. 2. & 3. tit. 10. parv. 1. Illustrant ultra congestos a Barbosa, & Garanna in praesenti, Cironius ad hunc textum, le Maître lib. 1. de jure Eccles. cap. 7. Canisius in cap. 3. de jure patron. Gentilis in notis ad apolog. Apulei, fol. 315. Filicinus in cap. 4. de offic. Ordin. Ballamon in can. 17. Concil. Niceni 2. Loayla, Binius, & Corjolanus in dict. can. 5. Concil. Brachar. 1. Hunnius in encyclop. tit. 1. cap. 2. Landmeter, lib. 2. de veteri mon. cap. 58. Bignonius in notis ad Marculum, fol. 521. Petrus Gregorius lib. 1. partit. tit. 28. cap. 9. & de benefic. cap. 15. Bulengerus lib. 3. opusc. cap. 40. Antonius Augustinus in epist. jur. lib. 15. tit. 15.

Sed haec assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam Ecclesiam nihil possidere posse, tam in communi, quam in particulari, probari videtur ex Salviano lib. 2. ad Eccles. Caebol. pag. 339. ubi de divitiis Ecclesiae loquens ait: *Impedimenta haec, adjuncta onera, non subsidia; possessione enim, & usu opum non suffulcitur religio, sed evertitur.* Unde Christus Dominus dum in hoc saeculo vixit, nullam possessionem habuit, immo de crastino non esse cogitandum, verbo, & exemplo docuit. Igitur non recte in praesenti adeo dos Ecclesiae procuratur,

Cccc 3 ut

ut laicus, qui eam construxit, dotare cogatur. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo; nam constructio Ecclesiæ in præsentî casu ex liberalitate, & munificentia Reginæ Ungariæ cœpit: sed donare, aut majorem liberalitatem exercere nemo cogitur, *l. absentî, ff. de donat. §. 1. Instit. eod. tit.* Donatio enim actus merè voluntarius est, & nullo jure cogente fit, *l. donari, ff. de donat.* Seneca *lib. 3. de benefic. cap. 19.* ibi: *Beneficium id est, quod quis dedit, cum illi liceret non donare.* Cicero *orat. 37. in Pisonem*, ibi: *Qui modus tibi frumentî astimandi? Quæ honoraria? Si quidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari.* Quintilianus *declamat. 7.* *Omniū beneficiorum ista natura est, ut non sit necessitas, sed potestas, quod in honorem alicujus inritum est.* Desinit privilegium vocari posse, si cogas, *Cuncta (si videtur) jura procurrito, nusquam adeo pro nobis sollicita lex est, ut quod præstat, extorqueat.* Ergo Reginâ Ungariæ non debebat cogi Ecclesiâ jam constructam dotare. Accedit, nam si semper qui construxit Ecclesiâ, eam dotare cogere, nunquam eveniret, ut unius, ejusdemque Ecclesiæ alius esset patrônus ratione constructionis; & virtute donationis alius, ut supponitur in *cap. piæ mentis 16. quest. 7. cap. novit, de jure patron.* ubi etiam probavi jus patrônatus acquiri ex constructione Ecclesiæ, & ejus dotatione: ergo quia non semper qui construit Ecclesiâ, eam dotare cogitur.

3.
De loco ubi
Ecclesia
construi-
tur.

Quâ difficultatè ita fulcitâ non obstante, verâ est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, nonnulla necessariò observanda esse in Ecclesiæ constructione, & dedicatione antequam ab Episcopo consecratur. Primum locus, seu area Ecclesiæ construenda destinata libera esse debet ab omni humano dominio, seu jure; ideoque forsitan jure civili non licebat locum sacrum construere, nisi cum assensu Principis, *l. sacra loca, ff. de rerum divisi.* nec locus sub conditione legatus dedicari propter spem dominii, *l. si locus sub conditione, ff. de relig.* nisi ut testator ipse sepeliretur; quo casu exaudiendus est textus in *l. ult. ff. ut in possess.* ergo antequam extruatur Ecclesia, locus est ab omni prophana ditione eximendus, ita ut nec Princeps in eo ullam retineat potestatem. Unde legimus apud Ordericum Vitalem *lib. 3. hist. Eccles.* quod cum locus extruendæ Ecclesiæ S. Ebrulsi destinatus esset, nobiles Normanniæ omne jus, quod sibi in eum locum titulo dominii habere poterant, ejurarunt; quod & Dux confirmavit solenni diplomate: *Locum (inquit Ordericus) nominatum, communi consensu ita liberum tradiderunt ejus tutela, ut nec sibi, nec aliis quibuscumque aliquam adjuerantiam, aut redditum, præter beneficia orationum à monachis liceret, vel hominibus eorum exigere: Dux autem bonæ voluntati eorum gratanter acquievit, & testamentum de rebus, quas optimates sui sancto Ebrulsi dabant, confirmavit.* Inde etiam provenit, ut licetè regulariter nemo vendere rem propriam compellatur, *l. invitum, C. de contrah. emptio. l. nec emere, C. de jure delib.* tamen religionis favore ut Ecclesia construatur cogitur dominus iusto pretio accepto fundum distrahere, argumento textus in *l. si quis sepulchrum, ff. de relig. l. Lucius, ff. de evict. l. in communes, C. de communi servo; l. item si verberatum, §. item si forte, ff. de rei vendic. docuerunt latè Covar. *lib. 3. variar. cap. 14. num. 7.* Cujas*

lib. 3. observ. c. 22. pluribus relatis Hemo-fillain *l. 3. gloss. 1. tit. 5. part. 5.* Secundò desideratur ad Ecclesiæ constructionem, ut in ipsa area, ubi sacræ ædes construuntur, non sint sepulchra defunctorum cadavera; immò si tumulata reperiantur; exhumentur, & extrâ projiciantur, propter incertitudinem, an Catholici, Hæretici, vel Gentes ultimum diem clauserint. Unde cum sanctus Frodobertus Trecentis Episcopus rogaretur Ecclesiâ construere in loco ubi corpora defunctorum jacebant, ante consecrationem iussit ea erui, & asportari, ut referitur in annalibus Trecentibus editis per Nicolaum Camuzatum; ibi: *Is ad prædicta Basilicæ consecrationem à fratribus evocatus, diligentius percontatur, utrum inter sacrandos parietes sepulchrorum cadavera regeantur. Cumque composuisset inesse quamplurima; universa prius de templo eliminanda præcepit, contentans se non aliter consecrationis officium suscipiturum.* Ita etiam D. Gregorius *lib. 1. epist. 22.* Surrentino Episcopo iussit consecrari monasterium S. Stephani, eâ conditione videlicet; si eo loco constructum sit, ubi nullum corpus fuerit humatum. Eandem conditionem apponit in consecratione oratorii per Timotheam matrônâ conditi, *lib. 2. epist. 9. & lib. 5. capitul. cap. 48.* ita caveatur: *Ecclesiâ, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeluntur, sacrificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis, vel lotis lignis ejus, readificetur.* Quin immò si locus ille fuisset commercio hæreticorum inquinatus, nefas erat Ecclesiâ illic extrui, Concil. Epauïense *can. 33.* ibi: *Basilicæ hæreticorum, quas tantâ execratione habemus exasas, ut pollutionem earum purgabibilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus: sane, quas per violentiam nostrâ abstulerant, possimus revocare.*

Tertiò, cum in ipsa Ecclesia sub altari principali condendæ essent Sanctorum reliquie, juxta tradita supra in *cap. 1.* & ibi ad divina officia celebranda necesse sit adfici Sacerdotes, qui Martyrum reliquias assiduo famulatu deseruiant, & in ornandis ædibus sacris cultum, atque ornatum comparent; & quia inter ipsam Rectorem, & Ecclesiâ conjugium spirituale contrahitur, ut probavi in *cap. inter, de transit. Episc.* non incongruè bona hæc dotem Ecclesiæ appellarunt SS. PP. supra, *num. 1. laudati*; & Lucius in *epist. unic. in princip.* ibi: *Significasti vos à quibusdam non rectam fidem tenentibus, atque vestras Ecclesias suis dotibus spolari.* Synodus Valent. sub Lothario *can. 9.* *Dotis à fidelibus designata basilicis, ad hoc, quod statim est, videntur.* Tolet. 3. sub Recharedo, *can. 3.* ibi: *Ecclesia ex dote, quam largitus est, qui illam edificavit, presbyterum habeat.* Colonien. sub Carolo Crallo, *can. 4.* ibi: *Nec ex dote Ecclesia, id est ex uno manso, & quatuor masculis consus exigatur.* Trosclian. *can. 6.* *Dotis Ecclesiæ libera omnino ab omni consus, & tribus presbyterum.* Et *can. 3. Synod. 6. & lib. 6. Capitul. cap. 69.* in diplomate Ottonis 1. ibi: *Dotem quoque Ecclesiæ, id est duas bobas possessionis, & beneficium presbyteri in eodem loco deseruiant.* Nec novè hæc voce utuntur Ecclesiæ PP. nam & Gentes possessiones templorum dotes eorum dixerunt. Ovidius *lib. 10.*

Templosq; accedere dotem
Hano iussere meis

Id est

Id est agrum Damascenum. Cenforinus de die natali, ibi: *Et cum agros, atque urbes, Deorum munere possiderent, partem quandam templis, sacellisque, ubi eos colerent, dicaverit.* Alio sensu Optatus Milevit. lib. 2. de schism. Donatist. contra Parmenianum Ecclesiæ dotes nominat prærogativas, intelligens Ecclesiæ, ut exponit Henellius de dotat. cap. 7. Qui ergo vult Ecclesiæ ædificare, p̄tius debet dotem assignare, & instrumentum dotale conficere, de quo Imperator Zeno ita sanxit in l. 15. C. de sacros. Eccles. Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem, aut jus aliquod personæ Martyris, aut Prophetæ, aut Angelis, tanquam ipsi possessorem adificaturus, & donationem insinuaverit apud quos necesse est, cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perficere per se, vel per hæredes; & perfecto opere, dare ea, quæ donatione continentur. Etiam constructâ Ecclesiâ dotem ipsam promissam tradere debet, in cuius traditione pro adipiscenda possessione rerum; olim quibusdam traditionibus symbolis Ecclesiæ utebatur, ut retuli in cap. 2. de consecr. Et tandem chartam ipsius dotationis, ubi accuratè omnes possessiones, & res pro dote Ecclesiæ traditæ recensebantur, & inscribebantur: cujus chartæ exemplar ex antiquitatibus Aleman. refert le Maître lib. 2. de iuribus Eccles. cap. 7. & chartam dotationis Ecclesiæ Toletanæ ab Alfonso Castellæ Rege factæ; refert Loaylas inter Concil. Hispan. pag. 197.

Deinde sciendum est, quod sicut in dote nuptiali attenditur conditio contrahentium, quoad dotis modum, & quantitatem, l. quæro, ff. de iure dot. probabimus infra in cap. 1. de adulter. ita olim non omnibus Ecclesiis dos æquâ fuit; pro numero enim sacerdotum, vel monachorum pinguior dos constituebatur; ut ex ea ministri omnes commodè alii possent; neque prophætiæ artibus operati dando cogerentur dignitatis suæ; & religionis maiestatem dedecorare. Ita majorum suorum providentiam laudat Justinianus in novella 3. his verbis: *Deprehendimus eos, qui sacrosanctam aliquam Ecclesiâ in hac alma urbe exadificaverunt, non solum curam ædifici gessisse, sed etiam in sacris ædibus, quas ipsi instituerunt, sufficiens erogatio suppeteret, ut quæ definirent, quod per singulas Ecclesias presbyteros versari conveniret, quot Diaconos, vel maros, vel feminas; quot subdiaconos, & item cantores, simul & lectores, & ostiarios; adhuc adis sumptuum adiecisse. Præterea peculiares redditus, qui instituto huic suo satis essent: nec multitudo fuit aliqua adjecta, cui exinde competens solutio fieri non posset.* In Concilio Valentiniano Galliæ sub Lothario, cap. 9. ita legitur: *Ipsi saculares, & fideles laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, sicut edictum piissimorum Augustorum continet, unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis dotationis gratiâ conferant, moxque Episcoporum iuri, & sanctæ marie Ecclesiæ eandem basilicam submittant. Aliter verò nos Episcopos, earum consecrationem sciant non impleturos.* Colonica autem est villa; seu villula cum modo agrî, quantum colonus unus colere potest, & nec admodum à manso distat, ut probavi in cap. 11. de censibus. Ut ad modum dotis Ecclesiæ redeamus; certè in Oratoriis ratio habebatur clericorum, qui illic erant instituendi; nam si fortè sacerdotes assumendi erant; pinguiori reddi-

tu dotabantur, quàm si inferioris gradus clerici, veluti Diaconi, aut Ostiarii. His enim sufficiebant mediocres sportulæ, quia illis nihil incumberebat præterquam ædem sacram purgare, & candelis; ac luminibus moderari, ut definitum fuit in dicto Concilio Tolet. 3. sub Recharedo, can. 2. ibi: *Placuit Dei sacerdotibus, ne quisquam infra suam parochiam Dei aulam ingurat; & munificus ille, qui sanctam Dei adificaverit Ecclesiam, quod ibidem pro suo heredi largitus est, eodem loco presbyter secundum priorum canonum instituta deserviens habeat: & si presbyterum ea facultas habere non permittit, vel Diaconus instituatur: certè si minor est census, ostiarius à Sacerdote sit electus, qui nitorem infra sinus sanctæ Ecclesiæ faciat, qui & sanctarum reliquiarum luminaria omni subsequenti nocte accendat.* Exco fortasse, quod aliqua Ecclesiæ fundata essent, ut aliorum Ordinum, præterquam Ostiariorum ministerio non egerent; manavit forsitan origo beneficiorum; quæ vulgò simplicia dicimus. Fuisse autem Ecclesiis quasdam, quas non presbyteri, aut Diaconi; sed inferioris nominis, ac gradus clerici regerent; abundè liquet ex D. Gregorio lib. 2. epist. 19. tibi Ecclesiam S. Agnetis, quæ in via suburbana constructa erat; commendat curæ Leonis eujusdam acolythi, cui propterea assignat pensiones certarum domorum. In monasteriis verò pro numero monachorum dos constitui debebat. Qui autem numerus ad conficiendum monasterium sufficiat, can. 16. Synodi Trul. & ex eo le Maître d. lib. 2. cap. 8. assignat. Si autem Ecclesia parochialis construatur, dos competens debet constitui saltem victui duorum; presbyteri; inquam; & clerici ad minus; quia non potest presbyter celebrare; & divina officia solus exequi; cap. ut quisque; de vita & honest. cleric. cap. proposuisti; de filiis presby. Expedit tamen, si fieri posset, duobus presbyteris parari necessaria; ut si fortè unus in casum agriitudinis incidere, alius vices ejus suppleret; cap. illud 7. quæst. 1. & aliquando placuit, ut dos tribus ministris sufficeret, cap. ut quoque; de consecr. dist. 1. Ultra etiam debet esse dos congrua ad onera Episcopalia solvenda, & hospitalitatem exercendam, cap. de monachis; de præbend. cap. 2. de suppl. neglig. cap. de præb. in 6.

Quibus ita animadversis apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cum in præsentis specie Regina Ungariæ fundasset; construxissetque Ecclesiâ, tacitè se obligavit ad ejus dotationem; siquidem juxta canones antiquos Ecclesiâ non potest consecrari sine congrua dote; nec solum ipse, qui construxit; tenetur eam dotare, verum etiam hæres ejus ad ipsum compelli valet. Leo Imperator novella 14. ubi statuit, ut si quis ædificaverit monasterium, nec dotem sufficienter dediderit; & moriatur ab intestato, relictis liberis; si tres sint liberi, monasterium, seu Ecclesiâ quadrantem bonorum ejus habeat; si ultra plures reliquerit; in succedentes liberos connumeretur monasterium, & accipiat deducto ære alieno quantum quisque acceperit: quod si defunctus mortuus fuerit sine liberis, relictis parentibus, dividatur substantia inter parentes proximos; qui unam partem; & monasterium, qui aliam partem dimidiam accipiant: si parentes non superint, nec filii; sed tantum agnati; bes bonorum ad

monasterium perveniat, triens ad cognatos; si verò fundator testatus sit, & nihil reliquerit monasterio, ut Antistes loci sufficientem monasterio partem accipiat, reliquis juxta testamentum valituris. Immo Glossa in presenti, verbo *Consecranda*, docet quod si Episcopus omittat exigere cautionem dotis, & sine ea Ecclesiam consecret, tenetur Ecclesiam illam dotare, ut tenetur providere de necessariis ei, quem sine titulo ordinavit, *cap. 2. ubi probavi, de preb.* Quod tamen Bernardus Glossator verum credit, dummodo Episcopus possit eam dotare de bonis propriis sine præjudicio propriæ Ecclesiæ, ne delictum ipsius noccat Ecclesiæ, cui præcelsi, *cap. 3. 16. q. 7.* Tandem P. Gregorius de benef. *cap. 15. num. 3.* hoc verum existimat, si prius discussæ fuerint facultates fundatorum, & fuerint inventæ non sufficientes; & eo casu in subsidium dandam esse in ipsum Episcopum actionem, argumento legis 3. §. 1. ff. si mensor falsum modum, l. fin. §. final. ff. de eo per quem factum fuerit. Sed licet Episcopus possit dotem exigere; non tamen aliquid munus pro ipsa consecratione petere valet, sed tantum recipere, si iponte offeratur, *cap. 1. 1. quæst. 2. cap. ult. 1. q. 3.* Concil. Pictav. *can. 4.* Nullus Episcopus pro sacris Ordinibus, vel pro Ecclesiarum benedictionibus munus accipiat. Aquisgran. 2. sub Ludovico, p. 1. *cap. 5.* Nullus Episcoporum deinceps pro dedicatione sanctæ Ecclesiæ aliquid exigere præsumat. Refert Antonius Augustinus in epit. *lib. 4. tit. 47.* quo modo accipiendus est quod legimus apud Hermoldum in *Chron. Sclavor. lib. 3. cap. 21.* Episcopum omnibus bonis ac facultatibus exutum, fato, ac miseria temporum suorum, ex consecratione altarium, & cathedratico vicissitasse: Harticus, inquit, *Bremensis Episcopus necessitate compulsus ministerialium redditus Episcopales per triennium abjuravit, ut infra tempus illud omnia ex integro solverentur. Episcopus vero ex his, quæ de cathedratico, vel consecratione altarium consequi poterat, vicissitabat.*

7.
Dissolvi-
tur dubi-
tandi ra-
tio.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, quæ moti Waldenses tenuerunt, Ecclesiam, aut ejus ministros, rerum temporalium, maximè immobilium, dominium obtinere non posse, & peccare Principes Ecclesias dotando. Quem errorem sequuti fuerunt Wiclephus, & Lutherus, ut refert Arseldius *hisor. Wicleph. cap. 2.* his verbis: *Omnes possessiones non monachis modo, sed universo proterus clero eripit, nec solidum aliquem, aut stabilem ei decimarum fructum reliquit. Dotare Ecclesiam est contrarium sacre Scripturæ, & contra regulam Christi. Sylvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt Ecclesiam dotando. Papa & omnes Cardinales, & Clerici possessiones habentes sunt hæretici, & laici consentientes, Imperator, & seculares sunt seducti à Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis: Sacerdotes Veteris Testamenti vivebant ex proprietario: Ecclesia non habuit dotem, vel possessionem rei immobilis ante Constantinum Magnum: non est sacrilegium auferre res Ecclesiæ datas, & Deo consecratas; immò debent Principes sub pena damnationis auferre bona temporalia à Clero habitualiter peccante. Istum errorem penè conscriptum restituit Lutherus; nam cum impii hæretici sectas suas stare non posse animadverterent, nisi Principum, & Magnatum patrocinio niterentur, existimant eos posse facili negotio in suas partes abduci, si ad Ecclesia*

prædam accerferent, persuaderentque posse Ecclesiam illis, quibus dotata est, bonis non solum impune, verum & religiose spoliare. Qui error damnatus fuit in Concilio Constantiensi, & rectè, nam Ecclesiam à primis ejus sæculis bona propria, peculiareque patrimonium habuisse, constat ex D. Ambrosio relato in *cap. aurum 70. 12. q. 2. cap. quatuor 27. cum sequent. eadem q.* & suppellectilia pretiosa etiam persecutionis tempore Ecclesiam habuisse, ex D. August. & Optato refert Baronius *tom. 1. anno 57. num. 81. & tom. 2. anno 223. num. 3.* prædique possedisse constat ex *cap. nulli 27. 12. quæst. 1. cap. non liceat 12. q. 2. cap. 1. cap. si quis 6. cum sequent. cap. ad audientiam 9. cum sequent. de rebus Eccles. probat Duarenus de sacris Eccles. ministr. lib. 2. cap. 1. Robertus lib. 2. rerum quocid. cap. 2. Quintanadvennas lib. 1. Eccles. cap. 2. num. 8. Lessius de justitia lib. 2. cap. 4. dubit. 7. Molina eodem tractat. tom. 1. disput. 122. Bellarminus *tom. 1. contro. lib. 1. de Eccles. cap. 5.* Joannes Pollemer, in oratione habita in Concilio Basiliensi, quæ extat *tom. 4. Concilior. Basi. p. 1. le Maître lib. 1. de jurib. Eccles. cap. 1.* fuisse Valenzuela contra Venetos 3. p. per totam. Nec faver Waldensibus dicta auctoritas Lucæ *cap. 14.* quæ est accipienda de preparatione mentis, ita ut animo debeant omnes fideles pauperatem sectari; non de vera renunciatione, & abdicatione bonorum temporalium, ut ex D. Angulino *epist. 5. ad Marcel.* explicat Bellarminus *ubi supra;* nam ut inquit Salvianus *lib. 1. ad Eccles. Cathol.* non sunt ipsæ divitiæ per se noxiæ, sed mentes malè utentium criminosa. Et si de renunciatione temporalium bonorum locus ille acciperetur, non solum præteret Ecclesiis, & Clericis temporalis domini obtinendi capacitatem, sed etiam omnibus fidelibus laicis: quod per absurdum est, ut jam notavit Joannes Pollemer. *ubi supra.* Nec exemplum Christi Domini, quod adversarii adducunt, pro eis facit; siquidem verius est, Dominum nostrum facultates aliquas, etsi tenues, possedisse, ut libi, & suis victum pararet, ut declaravit Joannes XXII. in *extravag. 4. & 5. de V. S.* & notavit Bellarminus, & Pollemer. *supra.* Nec etiam revocare licet statum Ecclesiæ præsentis ad tempus illius nascentis, quo Prælati contenti elemosynis fidelium collectas diebus tantum Dominicis faciebant, ut ait Socrates *lib. 7. hisor. cap. 12.* constatque ex epistola II Pauli ad Corinth. *cap. 16.* & ex traditis à Leone Papa *serm. 2. 3. & 5.* Baronio *tom. 1. anno 44. num. 68.* Eo enim tempore tanta pecuniæ quantitas colligebatur, ut quæ supererat, in gazophylacium reponeretur. Baronius *supra, num. 69.* Sed postquam charitas cepit tepescere, elemosynæ, & collectæ minus fructuosæ sue unt; quare justè cautum fuit, ut Ecclesia absque competenti dote non consecraretur. Inde obiter cognoscitur iniquas constitutionis Diocletiani, & Maximiani *in l. collegium 8. C. de hæredib. instit.* quatenus odio Christianorum, ut notavit Robertus *d. cap. 2. fol. 124.* statuit nullum collegium hereditatem capere posse, ut Ecclesiam arceret à bonorum temporalium dominio: quod etiam circa clericos cautum fuit in *l. nulla, C. Theod. de Episcop. & Cleric.* in quam invehitur D. Hieronymus *in epist. ad Nepotianum,* his verbis: *Pudeat dicere, Sacerdotes idolorum, mimi, aurigæ, & scorta hæredi-**

rates capiunt : solis clericis hoc lege prohibetur , & prohibetur non à persecutoribus , sed à Principibus Christianis , D. Ambrosius ad Valentin. epist. 31. Nobis etiam privata successione emolumenta recentibus legibus denegantur , & nemo conqueritur ; non enim putamus injuriam , quia dispendium non dolemus. Notavimus in cap. 3. de testam. Nec obstat augmentum primum ipsius dubitandi rationis ; nam qui construit Ecclesiam , ut supra probavi , tacite obligatur ad ejus dotationem ; unde non tam liberalitas est hæc dotis constitutio , quam debiti solutio , ut innuitur in ultimis verbis hujus textus ; facitque textus in cap. 1. de donat.

Unde Regina Ungariæ in præfenti specie , quasi ex debito , virtute constructionis Ecclesiæ tenebatur eam dotare. Nec obstat ultimum augmentum difficultatis ; nam variis ex causis accidere potest , ut ejusdem Ecclesiæ alius sit Patronus ratione dotationis , alius constructionis causâ , veluti si ille , qui construxit Ecclesiam , inopiâ oppressus eam dotare non potuit , aut postquam dotavit , rebus ipsis in dotem datis amissis , alius novam dotem constituit : quibus , & in similibus casibus duo patroni dantur , alius ratione dotationis , alius constructionis causâ.

CAPUT IX.

Gregorius IX. (a) Astoricensi Episcopo.

Quâ per Episcopum benedictâ , Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus , per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes , non obstante consuetudine provincie Bracharen. (quæ dicenda est potius corruptela :) quia licet Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt , quæ ordinis tamen Episcopalis sunt , non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est hæctenus per eosdem , mediocriter toleramus.

NOTÆ.

(a) *Astoricensi.* De Astoricensi Diocesi , & ejus Præfatis , jam nonnulla notavi in cap. 17. de re judic.

(b) *Aquâ per Episcopum benedictâ.* Licet aqua , tam ad administrandum baptismum , quam pialcularis , idest ad peccatorum remissionem , pro benedictione populi à Sacerdotibus benedicatur , ut latè probant de ea , & ejus effectibus agentes , Baron , anno 44. num. 88. & anno 57. num. 10. & anno 132. num. 5. Turrianus pro canon. Apost. lib. 3. cap. 6. & lib. 5. cap. 4. Joan. Dartis ad dist. 3. de consecr. Marfil. Colum. de aqua benedictâ , Ofius in confess. Polon. cap. 80. Creditus Alanus lib. 4. dialog. cap. 3. Lindanus Pæwopl. cap. 99. Genebrardus in Psalm. 150. num. 4. Didacus Payva lib. 4. orthodox. Grethferus de benedict. lib. 3. cap. 4. & 5. Turrianus contra Magdeburg. lib. 3. cap. 6. & 9. Theophilus Raynaud. tom. 15. in Heterocl. ad finem , fol. 557. & tom. 16. eodem tractat. p. 2. punct. 5. Durantius lib. 2. de ritibus. cap. 21. Bellarminus tom. 3. controuv. lib. 3. de Sanctis. cap. 7. Lucas Tudenis lib. 2. contra Waldens. cap. 3. Novarinus lib. 6. aqua nuptialis. cap. 123. Serarius lib. 1. opusculorum , cap. 6. Forcatul. in pen. juris civil. cap. 19. Franc. Valens in concord. jur. in proem. 6. cap. 4. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 30. Jodocus Coccius lib. 5. thesauri. artic. 8. Carrier. tom. 2. fol. 532. Saufay in Panop. Sacerd. p. 2. lib. 2. cap. 6. per totum. Tamen hæc aqua , quæ cum cinere miscetur pro reconciliatione , aut consecratione Ecclesiæ , tantum per Episcopum benedicatur ; unde ad distinctionem alterius aquæ vocatur hæc aqua consecrata , ut probant Antonius Marfil. de aqua benedictâ. cap. 5. num. 2. Turrianus pro canon. dicto lib. 3. cap. 6. & d. lib. 5. cap. 4.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu communiter sequens d. ducitur assertio : *Simplex presbyter non potest Ecclesiam consecrare , nec eam violatam reconciliare , etiam ex delegatione Episcopi.* Probant eam textus in Concil. Tolet. 8. can. 7. ibi : *Quâ de re nosse nos convenit , quod Episcopalis eminentia cultum non immerito sacris omnibus esse summa percensuit , quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit scilicet templorum Dei sacrationem christi benedictionem , sacerdotumque ordinum institutionem ; quæ tandem alter ordinata persistunt , quam excellentissime conferuntur ; quia & tanto ab eis singulariter impendantur , quanto eidem summo culmini peragenda servantur.* Concil. Hispal. 2. can. 7. ibi : *Nam quamvis cum Episcopis plurima illis (presbyteris) ministeriorum communis sit dispensatio , quadam novellis , & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverrint sicut & Presbyterorum , & Diaconorum , ac virginum consecratio ; sicut constitutio altaris , benedictio , vel unctio : si quidem nec licere eis Ecclesiam , vel altarium consecrare.* Wormat. can. 8. ibi : *Igitur presbyteris , quamvis cum Episcopis plurima ministeriorum communis sit dispensatio , quadam tamen auctoritate veteris legis , quadam novellis , & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverrint.* Consecratio ergo virginum , & benedictio , vel unctio altaris à presbyteris minime fiat : similiter non liceat eis Ecclesias consecrare. Carolus lib. 7. Capitul. cap. 159. cap. nullus , cap. nulli , de consecr. dist. 1. Eandem potestatem consecrandi , & reconciliandi Ecclesias , Episcopis competere docuerunt Clemens in cap. hic ergo , de consecr. dist. 1. Leo epist. 88. Felix IV. epist. 1. Ifidorus epist. ad Ludfredum. Illustrant ultra congestos à Cenedo in collect. ad Decret. collect. 135. Barbosa bio , & de potest. Episcop. alleg. 28. num. 56. & lib. 1. juris Eccles. cap. 4. num. 28. Vazquez 3. p. in 3. p. D. Thome. disput. 243. cap. 4. Germonius lib. 3. de sacror. immunit.

munit cap. 2. num. 17. Hallierus de hierarch lib. 2. de necessit. Episc. cap. 4. & in vindiciis fol. 182. Petrus Gregorius lib. 1. parit. tu 4. cap. 6. Fachineus lib. 12. controu. cap. 93. Morla in emp. tit. de iurisdic. num. 33. Plures ex Moral. tis fert P. Henao tom. 2. de sacrif. Missæ, dist. 23. sect. 5. Murga tom. 1. disquisit. tractat. 2. disquisit. 11.

3.
Impugnatur tradita assertio.

Sed in hanc assertionem ita pro dubitandi ratione infurgo : Ea, quæ ratione ordinis competunt, sicut ea, quæ ratione jurisdictionis exercentur, delegari, & aliis mandari possunt, ut probatur ex cap. suffraganei 10. de elect. ubi Archiepiscopus consecrationem Episcopi suffraganei aliis suffraganeis validè & licitè committit : & similiter Episcopus reconciliationem pœnitentium, quibus ipse pœnitentiam injunxit simplici presbytero committere valet, cap. presbyter. cap. Aurelius 26. quest. 6. Igitur etiam Ecclesiæ consecratio, seu reconciliatio, simplici presbytero mandari valet. Augetur hæc difficultas ex cap. altaria 32. de consecr. dist. 1. ubi in Concilio Agathen. ita cavetur : *Altaria placuit non solum unctioe chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.* Igitur quia simplex Sacerdos potest Ecclesiam consecrare. Tandem si ratio adducta à Gregorio in illis verbis : *Que ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris ordinis gradus clericis demandare* ; vera esset, sequeretur Romanum Pontificem non posse consecrationem Ecclesiæ, seu ejus reconciliationem simplici presbytero committere, cum verum sit, Pontificem posse eam facultatem simplici Sacerdoti delegare, ut probant Delbene tom. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. dubit. 2. sect. 10. num. 4. Barbofa lib. 1. juris Eccles. cap. 8. num. 15. Illustr. Ramos ad Alex. VII. pro Episcop. Lusit. princip. ult. §. 4. num. 15. in fine. Igitur nec ratio à Gregorio adducta defendi valet.

4.
Traditur ratio decidendi.

Adhuc tamen ut verissima, & juris principii consona defendenda est præsens assertio ; nam inter alia munia præcipua, peculiariaque Episcoporum referuntur consecratio Ecclesiæ, & ejus reconciliatio, ita ut Episcopus tantum possit ut ordinarius minister Ecclesiam consecrare, aut eam violatam reconciliare, cap. nemo, cap. hic 14. de consecr. dist. 1. cap. proposuisti 4. hoc tit. cap. constitutus, de relig. dom. probant DD. supra relati : nam & apud Ethnicos Pontificii juris fuisse dedicationem templorum, latè ex variis probat Cutherus lib. 3. de veteri jure Pontif. cap. 11. 12. & 13. Sanè Aurelianus agens de Palmirenis : *Ego ad Senatium (inquit) scribam, petens ut mittat Pontificem, qui dedicerit templum.* Aliud exemplum habet Livius lib. 9. Cum de ædis Concordiæ dedicatione agit : & aliud Tacitus lib. 4. agens de Plauto Aliano Pontifice. Meminit hujus moris Justinianus novella 13. cap. 7. & novella 67. cap. 1. Sed ut ad nostram veram religionem regrediamur, quia Chorepiscopi, de quibus egi in cap. quanto, de consuet. qui erant in pagis, & villis, intendebant, saltem summa exigente necessitate, Ecclesias con-

secrare, expressè facti canones id illis prohibuerunt in Concilio Barcinon. sub Recaredo, cap. 2. Parisiensi sub Gregorio IV. cap. 27. Melandii sub Sergio II. cap. 44. Metensi sub Arnulpho, can. 5. & in epistola Montani post Concilium Tolet. 2. & in Capitul. Caroli, & Ludovici lib. 1. capit. 19. & lib. ... cap. 168. & lib. ... cap. 119. & 284. & lib. 7. cap. 187. 310. 318. & 328. & ex epistola 86. Leonis Magni, signanterque adjunctum fuit in d. cap. nemo, cap. is 14. de consecr. dist. 1. Ecclesiam esse dicendam, & consecrandam ab Episcopo civitatis, ut excluderentur Chorepiscopi, & alii in pagis, & villis degentes ; immò olim tantum Summum Pontificem concessisse facultatem consecrandi Ecclesias, constat ex cap. perlectis, 25. dist. cap. nemo, cap. nullus, cap. Ecclesiarum, de consecr. dist. 1. & reuertit Baronius anno 591. Presbyteri ergo non possunt Ecclesias consecrare, aut reconciliare ratione proprii ordinis, & officii, nec etiam ratione delegationis ; quia licet Episcopus possit committere, & delegare ea quæ sunt jurisdictionis, Morla in emp. tit. de iurisdic. num. 33. non tamen ea, quæ sunt ordinis, ut est reconciliatio Ecclesiæ consecrata, atque ita r. c. ex hoc textu deducunt communiter DD. Episcopum non posse committere simplici presbytero ea, quæ sunt ordinis.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam in d. cap. suffraganei, delegatio facta fuit personæ, quæ alias Episcopum consecrare poterat ratione proprii ordinis ; non autem simplici presbytero, quæ sunt ordinis Episcopalis ; sed Episcopo, quæ sunt ipsius ordinis, ut docuit Julius Pacius centur. 10. quest. 55. Nec obstat textus in d. cap. altare ; nam ibi per benedictionem sacerdotalem non est intelligenda benedictio simplex presbyteri, sed Episcopi, qui etiam Sacerdos dicitur : textus in cap. Episcopi verò si sacerdotali modo, 11. quest. 3. qui canon est Concilii ipsius Agathensis : ac textus in d. cap. altaria. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, cui respondendum est, in presbytero esse quidem consecrationem ; & licet ea remota sit, sufficit tamen, ut illi tanquam personæ consecrata possint per Romanum Pontificem committi Ecclesiæ consecratio, nec dicatur delegationem factam fuisse personæ consecratae, ut docet Basilus Legion. de Confirmatione cap. 3. num. 10. In præsentem autem textum non Pontifex, sed Episcopus erat, qui delegabat simplici presbytero consecrationem, aut reconciliationem Ecclesiæ, cum Episcopi ea, quæ sunt ordinis, non possint aliis committere, cap. quamvis, 78. dist. Quare in præsentem textum necessaria fuit tolerantia ipsius Pontificis, quia ipse, non verò Episcopus, poterat delegare Ecclesiæ consecrationem. Abbates similiter jus mitræ, & bacula habentes possunt reconciliare proprias Ecclesias aquâ per ipsos benedicta, ut pluribus relatis probat Murga tom. 1. disquisitionum moral. tractat. 1. disquisitione 5.

CAPUT X.

(a) Idem eadem.

SI Ecclesia non consecrata, cujuscunque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, Saquâ protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur. Est tamen, quam citius fieri poterit, consecranda.

NOTÆ.

1. (a) **Dem.**] Gregorius videlicet IX. eidem Episcopo Astoricensi.

COMMENTARIUM.

2. **U**T Ecclesia violetur, polluaturve, necessarium non est, ut sit consecrata, aut benedicta; sed tantum destinata, & deputata ab Episcopo ad publicam Missarum celebrationem, ut docuerunt Azor *tom. 3. instit. moral. lib. 3. cap. 31. quest. 4.* P. Henao *tom. 2. de sacrif. Missæ, disput. 23. sect. 3. num. 27.* Barbosa *lib. 2. de jure*

Eccles. cap. 4. num. 12. Unde in presenti textu jubetur à Gregorio IX. ut Ecclesia non consecrata, violata prius reconcilietur, & postea consecretur; & eo casu potest Ecclesia reconciliari per simplicem presbyterum, quia adhuc non fuerat consecrata. Martha *de jurisdic. p. 2. cap. 17. num. 4.* ut hodie etiam Ecclesiæ, quæ tantum sunt benedictæ, per presbyterum reconciliantur. De privilegiis autem regularium circa consecrationem Ecclesiarum, & earum reconciliationem, late agunt P. Henao *ubi supra*, Ægidius Vossius *tom. 1. oper. moral. titul. 6. per totum.* Murga laudatus proximo commentario.

TITVLVS XLI.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

CAPUT I.

Ex (a) Concilio Agathensi.

Presbyter (b) manè matutinali officio expleto, (c) penum servitutis suæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persolvat; (d) ita tamen, ut horis competentibus (e) juxta possibilitatem, aut à se, aut ab scholaribus (f) publicè compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus turale (g) jejunus, (h) ut iterum necessitatibus peregrinorum, (i) & hospitem, sive diversorum commentium, infirmorum, atque defunctorum succurrere possit, usque ad statutam (k) horam pro temporis qualitate, Propheta dicente: Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius (l) numerus à nobis impletur, si matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorii tempore nostræ servitutis (m) officia persolvamus: nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Mediâ nocte surgebam, &c. Ergo his temporibus laudes Creatori nostro super judicia suæ justitiæ referamus.

NOTÆ.

- (a) **Agathensi.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub tit. de suffragiis, cap. 1.* at verò apud Carnotensem p. 6. *Decreti. cap. 181.* Burchardum *lib. 2. Decreti. cap. 184.* Gratianum in *cap. presbyter, 95. dist.* habetur, ex Concilio Nannet. *can. 60.* & ex eo citat textum hunc Fi-

lleficus *de origin. paræc. cap. 6.* Sed cum tantum canones 27. illius Concilii editi sint, fatendum est, canonem hunc non reperiri in eo Concilio, nec in Agathensi: ab illis autem verbis, *septenarius numerus*, deductus est textus hic ex regula D. B. nediçi, *cap. 16.* ibi: *Ut ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus sacratus à nobis sic impletur, si matutino, Primæ, Tertiæ,*